
# MANUDUCTIO INFIDELIUM AD FIDEM. SIUE METHODUS RECIPIENDI, ...

Ippolito Tonelli




NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
M 8
48 D
20
ROMA

# MANVDVCTIO
# INFIDELIVM AD FIDEM.

*SIVE*

# METHODVS

RECIPIENDI, INSTRVENDIQVE CATECHVMENOS ROMÆ, ALIISQVE IN LOCIS SERVATA;

*CVI ADDITVR*

Constitutio PAVLI III. S. P. Per quam Iudęis, ceterisque Infidelibus ad Fidem conuersis continuatur possessio suorum bonorum; eisdemque applicatur quicquid ex vsuris acquisierunt.

*CVM NONNVLLIS CONCLVSIONIBVS ad Catechumenorum, Neophytorumque materiam spectantibus.*


AVCTORE
HIPPOLYTO TONELLIO
CONGR. IESV SALVATORIS PRESBYTERO.

*AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.*

D. FRANCISCVM
S.R.E. PRESBYT. CARDIN. NERLIVM
ARCHIEPISC. FLORENTINVM.



FLORENTIÆ, apud Vincentium Vangelisti Archiepiscop. Typographum.
*SVPERIORVM PERMISSV, MDCLXXIX.*



*EMINENTISS.MO ET REVER.MO D.*

# D. FRANCISCO NERLIO
## S.R.E. CARD. ET PRINCIPI,
### ARCHIEPISC. FLORENTINO

*HIPPOLYTVS TONELLIVS S. & F.*



Iù multùmque dubitaui, Præſul Eminentiſſime, Tibi ne hunc de Catechumenis excipiendis, experiendiſque libellum dicarem, an

ditate tenentur; vt literatiſſimi, & integerrimi viri auctoritate munienda putarim. Nam ſi bonis omnibus illud ſæpe accidit permoleſtum, quod ea tempora remearent, quibus vel tantæ rei ignoratione, vel negligentia, plurimi, qui Chriſto libentiſſimè dare nomina concupiuerant, aut temerè dimitterentur inanes, aut graui periculo exponerentur; nunc hac Methodo tanti Patroni nomine ſuam in libertatem vindicatam, ſibi liberiores Eccleſiæ meſſes, & Euangelica horrea magis cumulata fore meritò pollicentur. Accipe igitur, Præſul, & Cardinalis ampliſſime, leuiculum hoc humillimi obſequij mei, gratique animi teſtimonium: & ſi hiſce paruis, ac tenuibus munuſculis heroicæ, ac prope diuinæ virtutes tuæ videantur indignæ, meam audaciam, & impudentiam ea qua ſoles lenitate, & clementia ex-

cuſa: cui me totum obſequentiſſimo ſtudio dono, dico, & conſecro.

Florentiæ pridie Nonas Octobris M.DC.LXXIX.

AD

# AD LECTOREM.



*Vllus est qui ignoret, Diuinorum Diuinissimum esse, Deo in salute animarum cooperari. Illud verò maximopere præstat, quicunque seriò, sedulòque operam suam nauare studet in conuersione Infidelium: quam cum deinde sequatur Catechesis, seu Instructio, multùm Catechistam iuuabit Methodus hæc, quæ etiam Romæ seruatur. Eam autem idcirco ad publicam vtilitatem in lucem edere operæpretium duxi, quia à Viro omni exceptione maiori accepi, superioribus annis Romæ graßante lue, ipsa quoque Catechumenorum Domo infecta, vel flammis donatam, vel alio modo amissam. Cum verò insani uulgi existimatio, qua plerique perperam opinantur, Hebræos, cæterosque Infideles uenientes ad fidem quicquid in Infidelitate bonorum posidebant esse penitus relicturos, quamplurimos à Catholica Religione suscipienda deterreat; ad huiusmodi tam perniciosum errorem amouendum, Constitutionem Pauli III. Summi Pontificis apposui, in qua inter alia Neophytorum priuilegia Iudæis, cæterisq; Infidelibus ad fidem conuersis non solum conseruatur*

*pos-*

*possessio suorum bonorum, uerùm etiam ijsdem applicatur quicquid ex usuris, & illicito quæstu acquisierunt, dummodò ignorentur certæ personæ, quibus de iure facienda est restitutio. Demum, quia in conuersione cuiuslibet Infidelis multæ contentiones occurrunt cum alijs eiusdem sectæ Infidelibus, nonnullas Conclusiones adiunxi, quæ rationibus, & Doctorum auctoritate fultæ præcipuas, ac ferè quotidianas difficultates resoluunt. Meum itaque hunc, Benigne Lector, qualemcunque laborem æqui, boniquè facias, cum sit solùm ea mente susceptus, ut Deo in salute animarum, eo modo quo possem, cooperarer.*



# APPROBATIO.

ILlustrifs. D. Antonius Riccius Archidiaconus Florentinus videat, si in opere isto sit aliquid contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus, & referat. Dat. 15. Iunii 1679.

*Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.*

Supradictum librum in omnibus inueni bonis moribus, & Orthodoxæ Fidei consonum, & ob præclaram sacrarum literarum eruditionem, & profundam Auctoris plurium scientiarum peritiam, vniuersæ Reipublicæ Christianæ vtilissimum existimo.

*Antonius de Riccijs Archid.*

Imprimatur seruatis seruandis. Datum 28. Iunii 1679.

*Alex. Puccius Vic. Gener. Flor.*

Adm. R.P. Iacobus Antonius Morigia Cleric. Reg. Barnab. Theol. Serenifs. Magni D. necnon Conf. Can. huius S. Officij diligenter perlegat præsentem librum, cui titulus est, *Manuductio Infidelium ad fidem*, si in ipso sit aliquid dissonum Sac. Can. Const. Apost. bonisq; moribus, & referat. Dat. ex Ædibus S. Off. Flor. hac die 5. Iulij 1679.

*F. Cesar Pallauicinus S.T.M. Vic. Gen. S. Off. Flor.*

Præsentem librum, cui titulus est, *Manuductio Infidelium ad fidem*, perlustraui, in quo nihil mihi occurrit, quod non sapiat sanam doctrinam, non redoleat pietatem, non sit sacra eruditione, diserta oratione, ac saluberrimo

rimo sapientiæ sale conditum: quare cum Fidei promouendæ, & Ecclesiæ illustrandæ apprimè sit accommodatus; dignus est, vt quamprimùm prodeat in lucem, lumen profectò non exiguum Vniuerso Orbi Christiano perpetuò allaturus.

*D. Iacobus Antonius Morigia Cler. Reg. Barnabita.*

Attenta præfata attestatione Imprimatur.

*F. Cæsar Pallauicinus de Mediolano S. T. M. Vic. Gener. S. Off. Flor.*

Matthæus de Mercatis Aduocatus pro Sereniss. Magno Duce Etruriæ.

# INDEX EORVM

## QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.



ME-



# METHODVS
## RECIPIENDI, INSTRVENDIQVE CATECHVMENOS.



§. I.



VM adultus aliquis Diuina illustratus gratia, ex Gentilitate, seu Paganismo, vel Iudaica perfidia, aut Mahumetica, seu quauis alia Infidelium secta, ad Iesu Christi Domini nostri fidem venire proposuerit, à Sacerdote, vel Fidelibus, qui eius conuersionem nouerunt, aut procurarunt, suadeatur ei illico ad Ecclesiam conuolare, & adducatur ad Episcopum, si adsit, vel ad Sacerdotem, cui hoc munus incumbit. Is verò eum benignè suscipiat, & de eius voluntate sciscitetur, conditioneque, ac statu, seruus ne sit, an liber: & exquirat causas eius conuersionis, quidue eum commouerit, vt veniret ad fidem, atque ij, qui eum adduxerunt testificentur, singula fideliter exponentes.

## §. II.

Exquirat item eius mores, & vitam, ac summa diligentia eius animum exploret, an scilicet indignatione aliqua, vel iniuria prouocatus, an alicuius odio, vel amore ductus id faciat, an vt pœnam aliquam temporalem euadat, aut lucrum aliquod, vel beneficium temporale inopia pressus consequatur, an aliud quid humanum expetat, aut animo conceperit; & si seruus est, an vt perueniat ad libertatem.

## §. III.

Quod si bono eum spiritu duci cognouerit, gratias Christo Saluatori cum eo agat, ac ipsum admoneat, vt quamprimùm ab Infidelium consortio, ne rursus eorum inuoluatur erroribus, secedat. Hoc autem si vel ægro animo ferre, vel aliqua ex parte duriùs accipere videatur, Sacerdos ei demonstret, Infidelium consuetudinem saluti credentium non expedire, sed ab ijs prorsus recedendum esse, dicente Propheta: *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldaeorum egredimini*. Ierem. L.8. Idque etiam suadeat, tum ad obediendum fidei, tum ad suæ salutis securitatem promptè faciendum esse, exemplo Abrahæ amici Dei, cui cum Dominus vocans eum de Vr Chaldęorum dixisset; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi &c.* Genes. xii. 1. Is statim omnibus derelictis, verbo Domini obtemperauit, quemadmodum scriptura subiungit; *Egressus est itaque Abraham, sicut praeceperat ei Dominus*. Genes. xii. 4.

Ne-

Neque enim salus venientis ad fidem in tuto esse potest, dum versatur inter Infideles, qui quantò coniunctiores ei fuerint, tantò grauiùs eius salutari proposito insidiabuntur, & obesse poterunt, iuxta Domini verbum: *Inimici hominis domestici eius*. Matth. x. 36. Et idcirco parentibus, vxore, & filijs, atque omnibus alijs posthabitis, Dei vocantis vocem sequendam esse, sicut idem Dominus in Euangelio docet; *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Luc. xii. 26. Et rursus; *Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me non est me dignus*. Matth. x. 37. Ne autem ille consanguineorum, aut aliorum suorum amissione, aut separatione deterreatur, affirmet ei, pro carnalibus parentibus, & consanguineis, præter Patres spirituales, ac fratres in Domino, quos prope innumeros in Christiana Religione comperiet, Patrem specialiter habiturum Deum, sicut Apostolus cum Prophetis clamat: *Exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus Omnipotens*. ii. Corinth. vi. 17. Quamobrem hilari illum, & constanti animo, magnaque in Deum fiducia esse debere.

## §. IV.

Si verò eum non sincerè ad fidem venire perspexerit, moneat, ne quem temporalem finem sibi; sed solam animæ salutem proponat, cum non ad temporalia,

ſed ad ſalutem animarum Baptiſmi Sacramentum inſtitutum ſit; ac propterea ne ficté, aut fraudolenter accedat, ſed anteactæ vitæ eum pœniteat, atque omnibus ſuperſtitionibus ſuæ ſectæ abrenuntiet, ſi quidem ex Gentilitate venit, Idolis, & ſimulacris, illaque horreſcat, & deteſtetur; ſi verò ex Iudaiſmo, Iudaicæ perfidiæ, & impietati; ſi autem ex Saracenicæ, ſeu Mahumeticæ infidelitatis ſecta fuerit, præcipuè curandum eſt, vt non ſolùm eidem expreſsè abrenuntiet, ſed ipſi etiam Pſeudoprophetæ Mahumeto, eumque vt impium hominem, & ſeductorem deteſtetur.

§. V.

Cum verò exiſtentes in peccato mortali, vel in peccandi propoſito permanentes, nequaquam baptizari debeant; Augures, Diuinatores, Sortilegi, Malefici, & Incantatores in Catechumenos non ſuſcipiantur, niſi diabolicis eiuſmodi artibus priùs abrenuntient, atque earum execrabiles libros, & inſtrumenta corrumpant, deſtruant, atque comburant; qui etiam aliquo tempore probandi ſunt. Ita nec Mimi, Hiſtriones, aut Paraſiti, qui ad libidinem, & peccata prouocant, niſi vanas has artes deſinant exercere. Neque Meretrices, niſi meretricium; nec Lenones, niſi lenocinium deſerant. Nec Adulteri, Fornicatores, aut Concubinarij, niſi adulteras, ſcorta, vel concubinas eiecerint, aut reliquerint. Neque Fœneratores, & Vſurarij, niſi à fœnore, & vſuris penitus deſiſtant, & illas, ac malè acquiſita quæcunque reſtituant, aut ſaltem reſtituere proponant, cum certæ perſonæ extent, quibus reſtitutio facienda eſt. Neque alij ſceleſti, & nefarij homines admittantur, niſi

si sua scelera detestentur, atque sinceræ pœnitentiæ signa ostendant.

## §. VI.

Si is, qui ad fidem venit, seruus fuerit, quæratur ab eo, cuius Domini sit; ac si viri fidelis seruus sit, & Domini testimonio commendetur, recipiatur; sin minus, in eo recipiendo cautiùs agatur. Si verò seruus fuerit alicuius infidelis, recipiatur quidem, sed deinde instruatur, quemadmodum (*hoc intellige iuxta ea, quæ dicentur infra Concl. 5. n. 2.*) seruiat, & placeat Domino suo, ne Christiana Religio inter Infideles blasphemetur.

## §. VII.

Si fuerit miles, qui accedit, doceatur *nemini iniuriam facere, neminem concutere, non calumniari, contentum autem esse stipendijs suis*. Luc. iii. 14. neque etiam contrà Christianam, aut Catholicam fidem, aut propugnatores militare; si parere noluerit, reijciatur.

## §. VIII.

Inuigilet autem potissimùm Sacerdos, ne quis simulet, se velle fieri Christianum, vt sub conuersionis prætextu aliquem ex Catechumenis subuertat, & à fide seducat.

## §. IX.

Post hæc si talem inuenerit eum, qui fidem expetit, qualem esse oportet, & in proposito permanere; faciat,

vt

vt is coram Notario, & teſtibus det nomen ſuum, declarans voluntatem ſuam, atque profitens, ſe ſponte chriſtianum fieri, & Eccleſiæ mandatis parere velle; ac ſi liberos habeat, aut alios ſuæ curæ commiſſos infantes, ſeu rationis vſum non habentes, ſe illos Eccleſiæ offerre, quandocumque illa voluerit, baptizandos, etiamſi ipſum à ſancto propoſito, quod abſit, deficere contingeret.

§. X.

Quod ſi habuerit vxorem, aut liberos, ſiue alios ſimiliter ſuæ curæ commiſſos, in diſcretionis ætate conſtitutos, ſiue maiores Infantibus, ſiue proximos pubertati, ſiue etiam puberes (minores tamen viginti quinque annis) qui adhuc de ſuſcipienda Chriſti fide non deliberauerint, ij ab Infidelium cohabitatione, & conſuetudine amoueantur, & apud fideles Chriſtianos moribus, & vita probatos ſeiuncti ab inuicem in domo aliqua, vel alio loco tuto ſequeſtrentur, quò Infideles quicunque accedere, aut ipſos quouis obtentu alloqui prohibeantur; ſed ibidem à Presbyteris, & Religioſis perſonis ſæpe viſitentur, eiſque veritas fidei Chriſtianę ex scripturis Sanctis, ex Religionis ipſius ſanctitate, & miraculorum gloria aperiatur, & prædicetur.

§. XI.

Super huiuſmodi autem de ſuſcipienda fide deliberatione non eſt pręfiniendum certorum, aut quadraginta dumtaxat dierum ſpatium: cum enim ad conuerſionem prolixiore tempore plerumque opus ſit, eorum iudicio,

& pru-

& prudentiæ, qui in illorum conuerſionem incumbunt, relinquendum eſt, vt pro eorumdem diſpoſitione, longiori, aut breuiori tempore eos detineant, prout ſecundum Deum viderint expedire. Quod ſi interim conuertantur, & declarauerint, ſe Chriſtianos fieri velle, tunc ab huius declarationis die numerandi ſunt quadraginta pœnitentiæ, ſeù inſtructionis ante Baptiſmum dies, aut plures, prout ad eum ſuſcipiendum idonei cenſebuntur, vt & infra dicetur.

## §. XII.

Si antequam conuertantur aliqua ſigna, ſeu indicia proximæ conuerſionis dederint, quamuis aliquandiu ſic detenti fuerint, non facilè, poſtulantibus, aut vrgentibus parentibus, aut conſanguineis, dimittantur, ſed adhuc per aliquot dies retineantur, donec de eorum ſalute bene ſperari poteſt.

## §. XIII.

Dum autem ſic ad conuerſionem detinentur, præſertim qui Iudæi ſunt, legitima ſua, & cęremonias ſeruare non prohibeantur, dummodo propter Paſcha, & propter alias ſuperuenientes solemnitates legales, ad Infideles redire, aut Infideles ad ipſos accedere non permittantur: sed ſi ea ſeruare voluerint, domi, vbi detinentur, ſoli ſeruent; ita tamen, vt nec azima, neque alia edulia prohibita eis à Chriſtianis miniſtrentur; & interim ex ſcripturis Prophetarum ipſis oſtendatur, ad ea ſeruanda Iudæos ampliùs non teneri; quodque huiuſmodi obſeruationes legales Meſſiæ aduentu, velut

vm-

vmbræ exoriente Sole euanescere debebant, & euanuerunt. Cęteris autem cuiuscumque sectæ Infidelibus, ex ipsius sectæ falsitate cæremonias illas impias, & inanes esse superstitiones, quibus alligatos eos Satan in errore detinet, demonstretur, proponaturque eis verus Dei cultus in spiritu, & veritate, non in mendacijs, & erroribus, vt colant, & adorent eum.

## §. XIV.

Dum etiam sic detinentur, nulla eis, vt ad fidem conuertantur vis, aut iniuria inferatur, neque durè, aut asperè, sed humaniter, & benignè tractentur, ac eis omnia necessaria largiter subministrentur; adeo vt ab eis cum omni benignitate, mansuetudine, & charitate potius voluntas exquiratur, quàm coactè extorqueri videatur.

## §. XV.

Vxor conuersi, si post omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, sed obdurata in infidelitate permanserit, dimittatur; caueat autem Vir, ne ei vnquam libellum repudij secundum Legem Mosaicam tradat; alioquin si id faceret, tanquam iudaizans puniri deberet: neque cum ea cohabitet propter periculum subuersionis fidei, & blasphemiæ, ac contumeliæ in Creatorem, nisi propter spem, & certa indicia futuræ conuersionis vxoris, Prælatus sincera mariti fide, & stabilitate confisus, id ei ad tempus iudicauerit permittendum. Quod etiam seruandum erit, si vxor conuersa fuerit ad fidem, & vir permanserit Infidelis.

§. XVI.

## §. XVI.

Neque filij infantes, aut lactentes apud Matrem, quæ à viro fideli discesserit, relinquantur propter periculum, ne eorum scilicet saluti, aut vitæ insidietur, neue eos educando ad infidelitatis errorem adducat; sed Patris conuersi, aut eorum, qui Catechumenis præsunt, cura sit, vt apud mulieres Christianas non suspectas alantur, atque in fide educentur.

## §. XVII.

Si autem vxor conuertatur ad fidem, & vir maneat in infidelitate, ipsa quoque dabit nomen, & coram Notario, & testibus, se Christianam fieri velle declarabit, ac filios, & alios, si quos habet suæ curæ relictos infantes, seu nondum vsum rationis habentes Ecclesiæ, vt supra, offeret baptizandos. Qua quidem declaratione facta, statim filij, & alij prædicti, opportuna adhibita cautela, auferantur à Patre, vel alijs Infidelibus, & apud eam, vel in domo Catechumenorum, vel alibi apud fideles educentur, ac fidei mysterijs, quantùm per ętatem licebit initientur, atque vnà cum matre, cum opportunum fuerit, baptizentur.

## §. XVIII.

Lactentium verò puerorum ratio, & diligens cura habeatur, vt propter ætatis imbecillitatem, ac periculum, eorum Baptisma non differatur, sed citiùs etiam ante matrem ipsam baptizentur.

## §. XIX.

Minores etiam filij, alijue illius curæ concrediti itidem sequestrentur, vt eorum de fide suscipienda voluntas exploretur, quemadmodum viro veniente ad fidem faciendum esse superiùs dictum est.

## §. XX.

Pueri autem, qui parentibus infidelibus sunt orbati, si consanguineos proximiores ex linea paterna, vel materna Christianos habeant, veluti fratrem, sororem, patruum, amitam, auunculum, materteram, aut alium vlterioris gradus, masculum, vel fęminam, apud eos, gradus tamen inter ipsos fideles prærogatiua seruata, educentur, & baptizentur.

## §. XXI.

Denique illud generaliter seruandum est, vt in pari gradu, fauore fidei, nulla habita sexus ratione, potior sit conditio consanguineorum fidelium, quàm infidelium; ità vt, v. g. Amita, vel Matertera Christiana, Patruo, & Auunculo Iudæo, aut alterius sectæ infideli semper præferatur.

## §. XXII.

Ad hæc pueri in septimo, vel circiter ætatis anno constituti, qui se vsu rationis pollere ostendunt, ad fidem sponte venientes, recipiantur inter Catechumenos, & aliquandiu probentur, eorumque voluntas coram

Epi-

Episcopo, vel personis non suspectis, si parentes eorum infideles vrgeant, aut ipsorum conuersioni contradicant, exploretur. Qui si in proposito permanserint nullo modo illis reddantur, sed baptizentur, & in Christiana pietate instituantur.

## §. XXIII.

Si fide dignorum testimonio pueros huiusmodi, aut aliquos adolescentes, vel puellas, aut alios quoscunque fidem expetere, & à parentibus, vel propinquis prohiberi, aut propterea domi inclusos teneri, vel quouis modo impediri constiterit, ab eis abducantur, & in domo Catechumenorum, aut alio tuto, & honesto loco sequestrentur, vbi in fide instituantur, & ad eos non permittantur accedere Infideles, neque aliæ quæuis suspectæ personæ.

## §. XXIV.

Mulieribus etiam, quæ Christianam fidem suscipere cupiunt, sed ob parentum, vel consanguineorum infidelium timorem, vel reuerentiam, aut ob fœmineam verecundiam non audent domo egredi, aut accedere ad Ecclesiam, & declarare se velle fieri Christianas, si per literas, aut internuntios, aut alio quouis modo suam voluntatem indicauerint, auxilium afferatur, & de propria domo (etiamsi tunc, ne se prodant suis, aut alia de causa renuerent, vel reclamarent) amoueantur, & ad domum Catechumenorum, aut in alium tutum, & honestum locum ducantur, vbi apud pias, & honestas personas teneantur, & explorata deinde, atque comper-

ta earum libera voluntate suscipiendæ fidei, in ea diligenter, & religiosè instruantur.

## §. XXV.

Postquam igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Ecclesiam Baptismi gratiam petens, ac nomen dederit, seu suam declarauerit voluntatem, vt supra; Sacerdos Deo, quòd istum ad se vocauerit, gratias agat, & oret, vt dirigat voluntatem eius, & oculos cordis illuminet ad intelligenda mirabilia sua, & iudicia iustitiæ suæ, vt odio habeat omnem viam iniustitiæ, & ingressus viam veritatis idoneus fiat lauacro regenerationis in adoptionem filiorum Dei, & in libro viuentium connumeretur; Et mox faciat, vt is capitis, siue aliud signum, quod ad distinctionem Christianorum deferebat, abijciat, & habitum induat, quem fideles solent.

## §. XXVI.

Tum eum admoneat, vt abrenuntiet Diabolo, & omnibus eius operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, & credat in Deum Patrem Omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, & in Spiritum Sanctum, vnum Deum in Trinitate Personarum. Postea exsufflet ab eo seuam maligni spiritus potestatem, dicens; *Exi ab eo spiritus immunde, &c.* Et cruce signet eum in fronte, & in pectore, dicens; *Accipe signum tam in fronte,* ✠ *quàm in corde,* ✠ &c. vt habetur *in Ordine Baptismi Adultorum,* & imponat manum super eum, & dicat aliquam Orationem: ac deinde is introducatur in domum Catechume-

menorum, & inter Catechumenos Ecclesiæ adnumeretur, & in libro describatur.

§. XXVII.

In ea autem domo Sacerdos catechizet eum diuinis sermonibus, & det ei monita salutis, quemadmodum post agnitam veritatem viuere debeat, & sæpius exorcizet aliquibus exorcismis, ex ijs, qui *in memorato Ordine Adultorum* continentur, arbitratu suo.

§. XXVIII.

Domus autem Catechumenorum in præcipuis vrbibus, & insignibus oppidis, vbi Iudæi, alijque infideles habitant, aut commorantur, institui debet, cui viri religiosi, & exploratæ fidei in Rectorem, & Ministros præficiantur. In ea verò fœminæ à maribus, pueri ab adultis, viri ab vxoribus, diuersas, atque distinctas mansiones habeant; ac his Presbyter probatæ vitæ, & doctrinæ constituatur Catechista, qui eos assiduè in fide erudiat; ad Ecclesias, vt ibi orent, ducat; cum ipsis sæpe colloquatur de rebus ad fidem, & salutem pertinentibus; atque eis explicet ea, quæ in Ecclesijs conspiciuntur, circa externum cultum, & altaria, sacras imagines, & ornamenta.

§. XXIX.

Ex ea autem domo dum in pœnitentia, & Catechismo degunt, raro, & non nisi rationabili causa Catechumeni egredi permittantur; numquam verò soli, sed sem-

per

per cum comite fideli, neque ſuos, vel alios infideles adire, neque per viam alloqui, neque cum eis cibum ſumere, aut negotia tractare ſinantur.

§. XXX.

Neque verò Infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, ſed cum eam prætereunt, procul inde confeſtim recedere iubeantur.

§. XXXI.

Interim in ipſa domo Catechumeni otiosè ne viuant, ſed (horis, quibus catechizantur, & diſcunt ea quæ oportet, exceptis) in exercitatione aliqua corporali, vel arte, quam callent, vel in domus obſequijs occupentur.

§. XXXII.

Vbi autem Catechumenorum domus nulla eſt, maiores, & adulti mares detineantur apud fideles, & timoratos viros, vel in aliquo Monaſterio, vel domo probatorum Monachorum, aut aliorum Regularium: fœminæ verò apud nobiles, & honeſtas matronas. Minores autem, & ſimiliter impuberes apud pios viros, vel apud probas, & religioſas mulieres ſequeſtrentur, fide, & moribus inſtituendi. His quoque eruditus aliquis, & pius Sacerdos in Catechiſtam præficiatur, qui eos frequenter inuiſat, & catechizet.

§ XXXIII.

## §. XXXIII.

Tempus autem Catechiſmi licet quadraginta dierum ſpatio ſoleat definiri, experientia tamen docet, quæ et ſacris canonibus conſona eſt, diuturniorem Catechiſmum valde vtilem eſſe ad Baptiſmum dignè recipiendum, & poſtmodum eo ſuſcepto in Chriſtiana diſciplina perſeuerandum. Qua in re habenda eſt ratio perſonarum venientium ad fidem: nam illis, qui antea benę conuerſati fuerint, & ab his, qui foris ſunt, bonum teſtimonium habent, quique docilitatem, & pietatem præſeferunt, quadraginta dierum Catechiſmus ſufficiet, ac interdum breuior, ſi ipſi ante quadraginta dies ſatis idonei ſint, & iuſta de cauſa ita fieri expediat, de licentia tamen Ordinarij, aut alterius Superioris. Qui rudiores, & non adeo dociles, ſed tardioris ingenij fuerint ad rudimenta fidei addiſcenda, atque ad ea, quę ipſos ſcire oportet, percipienda; ſimiliter, & qui malis moribus præditi fuerint (quamuis hebete ingenio non ſint, & bene omnia, quæ ad doctrinam Chriſtianam ſpectant, didicerint) vt ſi ſuperbi, elati, contentioſi, contumelioſi, vaniloqui, ſeditioſi, inobedientes, indeuoti, ſimulatoreſue, aut rerum temporalium nimiùm cupidi fuerint, qui denique priſtinos mores, & vitia adhuc retinent; hi non ſunt tam facilè baptizandi, ſed expectandum, donec priori vitæ conſuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores, & doctrinam euidentiùs dignoſcatur.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Infidelium quoque Sacerdotes, & Magiſtri, & hi, qui ſuperſtitionibus ſuæ ſectæ adhuc videntur addicti, tandiu probentur, quoad illas deſeruerint, & à ſe penitus abdicarint.

## §. XXXV.

Rabbini verò Iudæorum, qui antea diuinas ſcripturas ſcrutati per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechiſmo, niſi fortè, & ipſi cęremonijs, & ritibus Iudaicis nimiùm dediti ſint, quia tunc diutiùs in Catechiſmo, donec ab eis deſueſiant, retinendi ſunt.

## §. XXXVI.

Qui à partibus infidelium ad regiones Chriſtianorum, vt Baptiſmum ſuſcipiant, venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac ſi vernaculam linguam Chriſtianorum eius Prouinciæ, ad quam peruenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos, & Interpretes Chriſtianos, qui eorum linguam probè norint, in fide, & moribus inſtruantur: ſi autem Interpretes deſint, eouſque in Catechiſmo detineantur, dum linguam eiuſdem Prouinciæ intelligant, & interim eorum Baptiſmus, niſi neceſſitatis caſus occurrat, differatur. Verùm vbi Presbyteri, & Clerici deſunt, nihil impedit, quominus fidelis laicus, peritus tamen ſermonis, & moribus grauis adhibeatur, qui illos priuatim doceat, & catechizet.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Hortandus est autem, qui Catechumenis erudiendis vacat, vt hoc catechizandi munus adeò illorum saluti necessarium libenti, promptoque animo administret, ac alijs etiam bonis operibus anteponat.

§. XXXVIII.

Qui metu vltimi supplicij, aut alterius pœnæ temporalis vitandæ causa, Christianam fidem amplexi sunt, aut amplecti volunt, longiori tempore, quoad licebit, sunt probandi, & nisi ex indulgentia Principis, aut Magistratus pœna fuerint liberati, apertè eos moneri oportebit, Baptismi Sacramentum pœnam non remittere temporalem, nec sibi ad Ecclesiam confugiendum esse spe impunitatis, sed vt sempiternam pœnam euadant, accepta per Baptismi lauacrum remissione peccatorum, & ab omni reatu mundati vitam consequantur æternam. Atq; hi quidem in carcere, & tuto loco catechizentur, humaniterque tractentur; ac si veræ pœnitentiæ, & recti in fide propositi signa ostenderint, Sacerdotes, vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes, & Magistratus intercedant, vt in susceptæ fidei, & suscipiendi Baptismi reuerentiam, vltimum eis supplicium, seu pœna temporalis remittatur, aut saltem in mitiorem commutetur.

§. XXXIX.

Serui similiter diu probentur, & edoceantur, per

Baptiſmum ipſos à temporali ſeruitute Dominorum non liberari, ſed à ſeruitute Diaboli, & peccati, vt Chriſti ſerui efficiantur, cui ſeruire regnare eſt; veruntamen eorum Domini moneantur, vt eos tanquam æterni Domini Conſeruos benigniùs tractent, & ſtatis diebus in domũ Catechumenorum, vel ad Eccleſiam mittant, vt cathechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel auertant, neue vllo modo impediant; alioqui quod de fide malè ſentiant, redderent ſe ſuſpectos.

## §. XXXX.

Si Catechumenus vxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur vterque ſuo connubio contentus eſſe: si ſint ſoluti, diſcant non fornicari, ſed poſt acceptum Baptiſma, niſi cęlibatum amplecti, & ſe continere maluerint, iuſtis nuptijs in Domino copulari.

## §. XXXXI.

Si quis autem ex Mahumetica, vel alia ſecta, quæ plures vxores ducere, & habere licet, Chriſto nomen dederit, aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque diuino, aut humano iure fas eſſe; ac proinde tantùm prima vxore, ſi legitimè ducta eſt, retenta, reliquas dimitti oportere: quod ſi fecerit, & illa fidem ſuſceperit, matrimonium ratum erit; at ſi alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

## §. XXXXII.

Quo tempore Catechumeni in Catechiſmo, & probatione ſunt, doceantur, non temere, non inconſultè,

non

non imparati ad Baptiſmi Sacramentum accedere, ſed iuxta illud. Act. Apoſt, ii. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*, debere retroactæ vitæ pœnitere, nouam incępturos; quamobrem & in primo ſcrutinio cinere in pœnitentiæ ſignum conſperguntur. Hanc autem præſeferre etiam debent, & operibus, & exterioribus ſignis, nempè humili, ac modeſto habitu, abiectiſque pretioſis veſtibus, & curioſis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, ſpectacula, & huiuſmodi loca non accedant, ac ab omni ſpecie mali abſtinentes, ſobriè, piè, & caſtè viuant, ad Tit. ii. 12., & à proprijs vxoribus ſe contineant.

## §. XXXXIII.

Præterea crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, ieiunijs, & ſimilibus pœnitentiæ operibus, quæ in Baptiſmo adultorum, ex antiquo Eccleſiæ more præmitti conſueuerunt, aſſiduè vacent, pauperum miſereantur, eleemosynas ſecundum facultates ſibi à Deo datas largiantur, & in alijs pijs charitatis officiis ſe exerceant, atque ſemetipſos in omnibus probent. In Catecheſim animum intendant, & quotidie congruo tempore, mane ſcilicet, & veſpere inſtruantur: Eccleſiam frequenter adeant, in qua tamen ſeorſum ab alijs fidelibus orent, & Miſſæ tantùm Catechumenorum interſint.

## §. XXXXIV.

Si quod graue peccatum interim admiſerint, correctioni, & coertioni ſubijciantur ſui Rectoris, ſeu Præ-

fecti, qui iuxta delicti qualitatem in eos animaduertat, ea tamen moderatione, ne pœnæ acerbitate deterreantur, ac à fidei proposito recedant.

§. XXXXV.

Si tentatione aliqua, dum in Catechismo sunt, à fide defecerint, & ad infidelitatem redire voluerint, non statim propterea dimittendi sunt, sed aliquantisper detinendi. Interim verò piorum virorum suasionibus, hortationibus, & oratione detur opera, vt resipiscant: qui si nihilominus sanis sermonibus non acquiescentes in Infidelitate perstiterint, abire sinantur.

§. XXXXVI.

Liberi verò eorum, & alij quos Ecclesiæ christiana fide imbuendos obtulerunt, retineantur, & baptizentur, si nondum fuerint baptizati, nisi sint adulti, qui & ipsi fidem suscipere renuant, & recedere velint.

§. XXXXVII.

Propter tentationes autem, quas Catechumeni frequenter patiuntur, eos sæpe exorcizari oportet, eisque à Presbytero sæpe manus imponi: curandumque est, vt pro ipsis in Catechumenorum domo, & Ecclesia, ac in alijs Ecclesijs, Monasterijs, & pijs locis assiduæ orationes fiant. Sed ipsi moneantur, vt cum de incredulitate tentantur, vel modicæ se fidei cognoscunt, ad Christum conuersi sæpius dicant *Adiuua Domine incredulitatem meam*. Marc. ix. 23. Item, *Adauge Domine fidem.*

*fidem*. Luc. xvii. 5. atque humiliter, & instanter orantes stabilis fidei donum petant. Et siquando à malignis Spiritibus eos corripi, & vexari contigerit, quod nonnunquam euenire solet, similiter super eis imponantur manus, & fiant exorcismi, & orationes, vt traditur in libro de Exorcismis super Energumenos Catechumenos.

## §. XXXXVIII.

Cum Catechumenis præterea mitiùs agendum est, non asperè, & durè tractandi sunt, neque ea, quæ prouectiorum in fide, ac perfectiorum sunt, eis facienda statim proponi debent, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinthios iii. 12. *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam; nondum enim poteratis*. Neque etiam Christiana perfectio ab eis exigenda erit iuxta sententiam Saluatoris; *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur*. Matth. ix. 16. sed paulatim Christianam perfectionem edocendi sunt, & interim quædam ipsorum imperfectiones, quoad in Christiana pietate coalescant, Christi exemplo, qui diu sustulit discipulos suos, tolerandæ sunt. Qua in re imitandus est etiam Apostolus, qui ait; *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. 1. Corinth. ix. 22. Quapropter in principio Catechumeni ad ea, quibus nondum assuefa-

cti sunt, aut quæ alioquin ipsis sunt difficilia, nimiùm vrgeri, aut cogi non debent, modò absit contemptus, aut superstitio.

## §. IL.

Qui itaque flexis genibus orare assueti non fuerint, non diu in genuflexione, donec sic orare assuescant, detineantur.

## §. L.

Ad carnium, aut aliarum escarum sibi olim religione, aut lege vetitarum esum, qui ad eas nondum assueti in ijs sumendis nauseam patiuntur, eos compelli non oportet: sufficiat autem si illas interim degustent, aut olera cum ipsis cocta comedant, ne eas abominari, aut execrari, aut propter conscientiam eis vesci nolle videantur: vel si saltem alios cibos in Christianorum aut vasis decoctos, aut patinis appositos non respuant, aut discernant. Ita & in consimilibus casibus, qui Catechumenis præsunt omni cum charitate, & discretione erga ipsos, *ne linum fumigans extinguant*. Isa. xlii. 3. probè, ac prudenter se gerant.

## §. LI.

Quoniam verò ante Baptismum ea, quæ credere, & quæ seruare debent, edocendi sunt, iuxta præceptum Domini dicentis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare, quæcunque mandaui vobis*. Matth.

xxiix.

xxiix. 19. Ideo in Catechismo Sacerdos primùm Catechumenos instruat de mysterio Sanctæ Trinitatis illud planè, ac simpliciter exponens: non arduas disputationes, non difficiles, aut perplexas Theologicas quæstiones, quibus vel confundi, vel de fide dubij reddi possent, proponens.

## §. LII.

Deinde eos doceat ex Moyse, & Prophetis, ex Apostolis, & Euangelistis, Omnipotentem Deum omnia per Verbum sibi coeternum, & consubstantiale, hoc est vnigenitum filium suum tam visibilia, quàm inuisibilia initio creasse, atque ex nihilo condidisse.

## §. LIII.

Explicet autem eis casum Angelorum, & ordinem creationis, & diuinam in Creaturas prouidentiam, cur mundus conditus, cur homo creatus, quomodo gratia, & arbitrij libertate donatus, & in Paradiso colonus positus, quomodo *inuidia Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum*. Sap. ii, 26. & primi parentes ab eo seducti, Dei præceptum præuaricantes per inobedientiam ceciderunt, & quomodo originale peccatum ab Adam in posteros omnes perpetua damnatione transmissum est; nam sicut ait Apostolus; *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransyt, in quo omnes peccauerunt*. Rom. v. 12.

§. LIV.

## §. LIV.

Quomodo item Deus sua bonitate, & clementia bonos, & iustos in qualibet ætate honorauerit, vt Seth, Enos, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph; Iob, Moysen, Iosue, Caleb, Phinees, & Samuel; Dauid, Iosaphat, & Ezechiam Reges; Eliam, Elisæum, ac Danielem Prophetas; Esdram, Nehemiam, Tobiam, & Mardochæum; Iudam, eiusque fratres Machabæos, & alios, qui in quouis sęculo sanctitate præstiterunt; & largissimus semper fuerit *remunerator inquirentibus se*, ad Heb. xi. 6. Sceleratos autem homines, & impios omni quoque ætate grauiter puniuerit, vt Cain, Core, Dathan, & Abiron cum eorum vxoribus, liberis, & substantia; Goliath, Holofernem, & Aman; ac Reges Achab, Sennacherib, Nabuchodonosor, Baltassar, Antiochum, Epiphanem, & alios diuini Numinis contemptores, atque etiam sępenumero gentium multitudinem; vt in vniuersali diluuio tempore Noe, in confusione linguarum ædificantium turrim Babel; in subuersione Sodomæ, & Gomorrhæ, & reliquarum vicinarum Ciuitatum igne, & sulphure de Cœlo immisso; in submersione Pharaonis, & exercitus eius in mari Rubro; in filiorum Israel, qui in deserto contra Dominum, vel Moysen, & Aaron murmurauerunt, aut Sacerdotium sibi arrogare contenderunt, pestilentia, incendio, gladio, vel diro serpentium morsu percussorum interitu, & perditione; in Regum, populorumque Cananęorum, ac gentium finitimarum cæde, exitio, & euersione; in populi Israel, cum vero Dei cultu derelicto ad Idola, & abomina-

tiones gentium se conuertebant, frequentibus cladibus, flagellis, & captiuitatibus; & in similibus euentibus iustorum iudiciorum eius euidenter ostensorum. Quomodo denique peccatoribus, & iniquis pœnas, & supplicia irrogauerit; bonis autem, & iustis honores, & præmia tribuerit, vt iustissimus vindex, & æquissimus retributor. Atque ita erudiat eos de his, quæ in diuinis scripturis tam circa misericordiam, & benignitatem, quàm circa iram Dei, ac ostensionem bonitatis, & sempiternæ iustitiæ eius, *& ad nostram doctrinam*, & correptionem *scripta sunt*. Rom. xv. 4.

§. LV.

Postea verò doceat, quomodo Deus, qui *diues est in misericordia*; Ephes. ii. 4. statim post Adæ peccatum promiserit se missurum Christum, vt Serpentis caput contereret, id est, vt Diaboli regnum, quod in humanum genus sibi iniquè vsurpauerat, destrueret, & nos à potestate tenebrarum eriperet, & transferret in regnum suum, & ipsum deinde omnibus sequentibus seculis vsque ad eius aduentum repromiserit Patribus per Prophetas, quem proposuit Propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, vt meritò dicat Apostolus; *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam*. Rom. v. 20. 21. Ac tum opportunè eorumdem Prophetarum diuina oracula, & prædictiones de eiusdem æterni Verbi Vnigeniti Dei Filij Domini nostri Iesu Christi incarnatione, natiuitate, prędicatione, virtutibus, miraculis, alijsque operibus, passione, morte, sepultura, resurrectione, & in Cœlum

ascensione, de Spiritus Sancti emissione, Apostolorum in toto terrarum orbe prædicatione, Gentium vocatione, & conuersione; deque futuro iudicio, & futura omnium resurrectione, de secundo Christi aduentu ad viuos, & mortuos iudicandos, de promissione, & spe vitæ æternæ, de retributione vnicuique repetenda iuxta opera sua, de futura gloria, de igne, & alijs Gehennæ pœnis, & æterna reproborum damnatione Catechumenis fideliter exponat; atque ita paulatim explicet eis mysteria Regni Cœlorum.

## §. LVI.

Verùm quemadmodum Ethnicis, & Infidelibus diuina mysteria propalanda non sunt, dicente Domino in Euangelio; *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos;* Matth. vii. 6. ita cum Catechumenis magna discretione agendum est, vt iuxta sanctorum Patrum documenta, & traditionem, non omnia, præsertim sacratiora quædam fidei mysteria, eis aperiantur, quòd ea, vel non capere, vel impossibilia reputare, aut irridere facilè queant; sed ea tantùm, quæ in vulgus efferri fas est, & non credentibus prædicari tutò possunt: quę autem reconditiora, & magis mystica sunt, post Baptismum, cum iam intrà Ecclesiam fuerint, commodiùs poterunt edoceri; quæ & ipsi apud se occulta, & clausa, tanquam sigillo obsignata custodiant, nec Infidelibus prodant.

## §. LVII.

Siqui verò Catechumenorum ea mysteria nosse, seu eorum rationem intelligere quærant, fides, & humi-

militas eis commendanda, & inculcanda est testimonijs scripturarum, cuiusmodi est illud; *Iustus ex fide viuit.* Habac. ii. 4. Galat. iii. 11., & illud; *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isa. vii. 9. *iuxta Sept.* Item; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioann. xx. 29. Et illud; *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Ecclesiastic. iii. 22. 23. Itemque; *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Prou. xxv. 27. Sunt præterea confirmandi antiquorum Patrum exemplis, qui non quærentes rationem eorum, quæ à Deo iubebantur, humili, & constanti in eum fide imperata faciebant, atque ita illustria, & admirabilia opera ediderunt, quorum etiam præclaræ fidei exempla Apostolus commemorat in Epistola ad Hebræos. Ac proinde hortandi, monendique sunt, vt ea, quæ de fide Trinitatis, & humani generis redemptione per Christum, ac de spe futuri seculi eis tradita sunt, fideliter credant, atque retineant, scientes, quod si priùs crediderint, omnia postmodum suo tempore intelligent, & quando sublimitatem eorum, quæ eis non traduntur, didicerint, tunc planè cognoscent, idoneos non esse Catechumenos ad ea audienda.

## §. LVIII.

Sed & siqua proprio sensui repugnare, aut eis impossibilia fortasse videbuntur, admoneantur, vt captiuantes intellectum in obsequium fidei, quæ eis credenda proponuntur firmiter credant; *quia non est impossi-*

*bile apud Deum omne verbum*. Luc. i. 37. *& quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Luc. xviii. 27.

## §. LIX.

Cæterum dum catechizantur, instituendi sunt non solùm doctrina fidei, sed etiam disciplina morum, & pietatis, ac confirmandi exemplis ex gestis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Anachoritarum, ac aliorum Sanctorum petitis, quòd ea plurimùm conferant ad ædificationem fidei, & veræ pietatis, atque ad imitationem prouocent; vt & ipsi per Baptismum deinde renouari, & Sanctorum imitatores, quantùm Dominus dederit, effecti, eius vitæ vsum teneant, quæ ablutos decet, & tales se imposterum præbeant, quales esse oportet fideles in Christo renatos.

## §. LX.

Catechumenos, qui ingenio perspicaci, & intelligentiores sunt, Presbyter catechizet in fide ex diuinis Scripturis iuxta modum seruatum à Sanctis Patribus, præsertim verò Augustino *in libro de catechizandis rudibus, & in concione ad Catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Arianos, & in alijs eius opusculis, & sermonibus*, vt ex 6. *de tempore, & in sermone ad Competentes* 8. *in libro de diuersis*. Ad id etiam adhibere poterit lectionem Sanctorum Cyrilli Hierosolymitani *in Catechesibus ad eos, qui illuminantur*: & Gregorij Nazianzeni *in orationibus in sancta lumina, & in sanctum*

*ctum Baptisma*; Basilij Magni *in sermonibus de Baptismo, siue in exhortatione ad Baptismum*; Gregorij Nysseni *in orationibus de Sancto Baptismate, & aduersus eos qui illud differunt*; Io: Chrysostomi *homilia 14. ad populum Antiochenum de Catechesi ad illuminandos*; & aliorum Patrum, qui de ea re tradiderunt, quorumque sententiæ in Burchardi, Iuonis, & Gratiani decretis continentur: item Ambrosij, siue Prosperi *in libris de vocatione gentium*. Eruditiores verò Catechista Theologus in fide pleniùs edoceat, ac infirmos, & quorum animos nutare intelligit, erigat, atque confirmet.

## §. LXI.

Catechumenos quoque de Iudaismi, aliarumque eorum olim Sectarum erroribus admoneat; & tam ex sacris literis, quàm ex varijs veterum, & sanctorum Patrum libris, ac tractatibus, præsertim verò aduersus Iudæos, & Gentes conscriptis, quorum aliqui inferiùs commemorabuntur, earum falsitatem redarguat, ac refutet, & fidei veritatem astruat. Et ad tollendas de eorum mentibus falsas, siquas olim imbiberunt, de humana anima opiniones, doceat eos, rationalem animam non corpoream, sed spiritualem esse substantiam, & immortalem, intellectus, memoriæ, & voluntatis potentijs, quibus ad imaginem Dei creata est, præditam, & alia huiusmodi, quæ ad errores refellendos nouerit accomodata.

§ LXII.

## §. LXII.

In primis autem eos doceat, quomodo se signo Crucis signare debeant, ducta scilicet dextera manu à fronte ad pectus, & ab humero sinistro, ad dextrum, simul dicendo, dum tangunt frontem; *In nomine Patris*; dum pectus, *Et Filij*; dum sinistrum, & dextrum humerum; *Et Spiritus Sancti*. Tum eis ostendat eiusdem signi vim, atque virtutem aduersus Dæmones, & contrarias potestates, quòd videntes signum summi Regis expauescant, & territi, & confusi procul aufugiant. Quare eos moneat, ne Crucis signum erubescant, sed sibi illud in fronte sępissimè, & confidenter imprimant, & in eo etiam maximè glorientur iuxta illud Apostoli; *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Galat. vi. 14., & id, quod cantat Ecclesia: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati, & liberati sumus*. Missal. Rom. *in Missa de Cruce*; doceatque eos, ideo in fronte, quæ sedes est pudoris, hoc signum fieri, ne fideles Christi Crucem, quæ antea opprobrio erat, erubescant. Hortetur igitur illos, vt publicè, & priuatim salutari signo Crucis se muniant, cum cubitum eunt, cum surgunt, cum domo exeunt, cum Ecclesiam intrant, cum orare incipiunt, & desinunt, cum opus aliquod aggrediuntur, cum iter suscipiunt, cum equum, aut nauim conscendunt, cum aliquod eis periculum impendet, aut pauor occurrit, cum cibum, & potum sumpturi sunt, & in omni denique negotio, & actione.

§. LXIII.

## §. LXIII.

Symbolum Apostolorum eis sæpius exponat, primùm simpliciter, deinde pro ipsorum audientium captu luculentiùs, & tum ex Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, quod cantatur in Missa, & ex Symbolo sancti Athanasij Alexandrini, tum etiam ex sanctis Patribus, vt Ambrosio *in tractatu in Symbolum Apostolorum*, & Augustino *in quatuor libris de Symbolo, seu regula ad Catechumenos, in libro de fide, & symbolo, & in pluribus sermonibus de tempore*, in quibus illud Competentibus tradit, vel exponit, vt 115. 119. 123. 125. 131. 181. 192. 193. & 194., Cyrillo Hierosolymitano *in Catechesibus præcitatis*, Io: Chrysostomo *in homilia* 1. & 2. *de expositione symboli Apostolorum*, & Maximo Taurinensi *in homilia, in traditione Symboli*. Item ex Rufino Aquileiensi, Venantio, Fortunato, sancto Thoma de Aquino, & Catechismo Romano *in expositione eiusdem Symboli Apostolorum*, vel etiam ex alijs Patribus, & Theologis, qui super eo scripserunt.

## §. LXIV.

Explicet quoque eis *Orationem Dominicam*, ac singulas illius petitiones, vbi videbitur ad ipsorum audientium ædificationem conferre posse, ex sanctis Patribus *in eorum Commentarijs, vel proprijs opusculis*, veluti Cypriano *de oratione Dominica*, Augustino *in libro secundo de sermone Domini in monte, & in Epistola* 121. *ad Probam, de orando Deum, & in libro quinquaginta homiliarum homilia* 42. Item *in quibusdam ser-*

*mo-*

*monibus de tempore*, in quibus eam, vel Competentibus exponit, vt *sermone* 126., & 135., vel Neophytis, vt 182. & *in libro de Diuersis*, *sermone* 9. *ad Catechumenos*, *& Neophytos*, *& sermone* 10. *sequenti*, *& sermone* 40., Gregorio Nysseno *in orationibus*, *seu homilijs quinque de Oratione Dominica*, Io: Chrysostomo *in homilia de Oratione Dominica*, Venantio, Fortunato, & beato Thoma *in eius expositione*, alijsque Patribus, ac sacris Interpretibus diuinorum Eloquiorum, atque ex ipso item Catechismo Romano.

## §. LXV.

Eamdem verò *Orationem*, *& Symbolum* ipsi Catechumeni memoriæ mandare, & sæpius recitare studeant.

## §. LXVI.

Doceat præterea Catechumenos Præcepta Decalogi, dilectionis Dei, & Proximi, ac legis naturalis erga Proximum, Virtutes Theologicas, & Morales, Beatitudines, Fructus Spiritus, Opera Misericordiæ corporalia, & spiritualia, & Euangelica consilia.

## §. LXVII.

Doceat item eos de peccatis capitalibus, & mortiferis, vt ea vitare sciant, ac ab his imposterum abstineant: de corporis sensibus, vt eos à peccato custodiant: de Inimicis hominis: de quatuor nouissimis, atque alijs, quæ ad Christianę vitę institutionem pertinent.

§. LXVIII.

## §. LXVIII.

Insuper eos doceat omnipotentem, & misericordem Dominum non modò vt Deum, & Creatorem, verùm etiam vt Patrem, & humani generis Redemptorem, specialem curam, atque prouidentiam de electis suis, & in se credentibus habere: quod ostendet exemplis, & auctoritatibus scripturarum vtriusque Instrumenti, præsertim verò Psalmographi dicentis; *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius; vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame*. Psal. xxxii. 18. Et rursus. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Psal. xxxiii. 7. Item. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum*. Psal. xxxiii. 15. 16. Itemque; *Multa tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur*. Psal. xxxiii. 19. 20. Ac rursus; *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hareditas eorum in aternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur*. Psal. xxxvi. 19. 20. Et infra; *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Psal. xxxvi. 24. 25. Item; *Considerat peccator iustum, & quarit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi*. Psal. xxxvi. 34. 35., & infra. *Salus autem Iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis, & adiuuabit eos Dominus*,

*nus, & liberabit eos, & eruat eos à peccatoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo.* Psal. xxxvi. 41. 42. Item, *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cęli commorabitur*, & quæ sequuntur. Psal. xc. 1. & alibi sępe. Tum ex alijs sacris libris, vt cum dicitur; *Qui timent Dominum, erunt in oculis illius.* Ecclesiastic. x. 28. Item; *Oculi Domini super timentes eum, protector potentia, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Ibidem xxxiv. 19. 20. Idemque confirmabit verbis Christi in Euangelio, cum ait; *Nonne duo Passeres asse veneunt, et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Matth. x. 29. Et demum; *Capillus de capite vestro non peribit.* Luc. xxi. 18. Quod & in Martyrum, & aliorum Sanctorum gestis mirificè elucet. Ac proinde eos, vt in Deo omnem spem, omnemque fiduciam collocent, admonebit.

## §. LXIX.

Eos etiam doceat, quæ dum initiantur dicere, ac per se ipsos, cum interrogati fuerint, respondere debeant; quid item in Baptismi Sacramento renunciandum, quidue credendum sit; oportere primùm eos discedentes à fidei contrarijs abrenuntiare Diabolo, deinde Christo se adiungere, ipsius fidem profitentes, ac ita priùs de corde omni impietate, & malitia expulsa, veram pietatem amplectentes, mysteria ingredi, & ad

Bap-

Baptiſmi gratiam accedere, ſanctaque percipere debere. Renunciatur autem Diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Opera verò Diaboli, *opera carnis*, eſſe intelliguntur, quæ ſunt *fornicatio, immunditia, veneficia, diſſenſiones, homicidia, ebrietates, & his ſimilia*. Galat. v. 19. 20. 21. quæ nimirum Diabolico inſtinctu priùs cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perpetrentur. Pompæ verò eiuſdem ſunt, Superbia, Iactantia, Vanagloria, Faſtus, & alia quamplurima, quæ ex his oriuntur.

## §. LXX.

Det autem operam prudens Catechiſta, vt omnia, quæ Chriſtianæ fidei repugnant, aut diſciplinam impediunt, remoueantur, ac de eorum cordibus funditus euellantur, vt his, quæ ſunt religionis, & pietatis, rectè imbui poſſint.

## §. LXXI.

Quocirca moneat eos, vt auguria, auſpicia, diuinationes, incantationes, ſortilegia, omnes denique ſuperſtitiones, tanquam Diaboli commenta, & machinationes vitent; ſectentur verò ſincerum religionis cultum, veritatem, iuſtitiam, miſericordiam, abſtinentiam, verecundiam, pudicitiam, caſtitatem, manſuetudinem, benignitatem, & reliquas Chriſtianas virtutes, vt mentis humilitatem, oculorum modeſtiam, linguæ continentiam, ſenſuum mortificationem, corporis caſtigationem, ſuperbiæ compreſſionem, cogitationum puritatem, iræ moderationem, patientiam in tribulationi-

bus; Dei, & ſibi Præpoſitorum iuſſionibus promptè, & humiliter obedire, non reddere malum pro malo, non vlciſci, ſed potius benefacere malefacientibus, inimicos diligere, orare pro perſequentibus, iniurias æquanimiter ferre, non iurare, non mentiri, non fraudare, non contumelias inferre, nec turpia, aut ſtulta, ſiue ſcurrilia loqui, aut facere, neminem calumniari, aut circumuenire, neque aliud quicquam illicitum perpetrare, ac omnes præterea prauos habitus, & malas conſuetudines abijcere: Moriendum enim ſibi eſſe peccato, viuendum autem Deo. Nam & tunc digni erunt in nomine ſanctæ Trinitatis baptizari, ac superna regenerari virtute, ſi & vitia, & priſtinum viuendi modum, & locum, & præteritæ vitæ ſocios mutent, vt ſpiritu viuentes, Chriſtum indui mereantur, quemadmodum dixit Apoſtolus; *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*. Galat. iii. 27.

## §. LXXII.

Siquis interdum Catechumenorum per animi elationem dixerit, aut ſignificauerit, nolle ſe vnà cum reliquis Catechumenis, aut cum pauperibus, vel illis, aut illis, ſed vel ſolum, vel cum certis quibuſdam tantùm baptizari docendus erit. *Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam*. Iacob. iv. 6. 1. Petri v. 5. ac proinde ſancti Baptiſmi lauacrum, non faſtum, aut arrogantiam admittere, ſed pęnitentiam requirere, & animi humilitatem; atque alienum eſſe à dignitate ſua, putare, non debere eum, qui diuitijs affluit, ſimul cum paupere baptizari, cum obſcuro nobilem, herum cum eo, qui ſibi ſeruus fuit. Nemo enim vnquam tan-

to-

topere se demittet, quantopere Christus, in quo baptizatur, quicunque salutaribus aquis intingitur, se se deiecit, qui salutis nostræ causa *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*. Philipp. ii. 7.

## §. LXXIII.

Siquis præterea ambitione ductus insinuauerit, se non à deputato presbytero, sed ab Episcopo tantùm, aut magno aliquo Prælato, siue etiam eximiæ sanctitatis Sacerdote Baptismi sacramentum suscipere velle; doceatur, eum, qui curatione indiget, de iudicibus sibi iudicium arrogare non debere, nec eorum, à quibus purgatur, dignitates, pretiaque anxiè, & morosè disquirere, & quamuis alius alium probitate vitæ, aut gradus dignitate præcellat, eamdem tamen cuiusuis Baptismi in sanctæ Trinitatis nomine collati, rem esse. Baptismus namque talis est, qualis ille est, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur. Et ideo *si vnus à viro iusto, & sancto baptizetur, alter ab altero inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ vnum tamen, & par, & æquale est, quod accipiunt:* Augustin. *in Ioan: tract. 6. ante med.* quia per ministros dispares, Dei munus æquale est, cum non illorum sit munus, sed ipsius Christi, qui principaliter baptizat.

§. LXXIV.

## §. LXXIV.

Doceat quoque eos ad pœnitentiam superioris vitæ, quæ exigitur ante Baptiſmum, probè tenendam, vt contritionem, vel ſaltem attritionem habeant omnium peccatorum, ac delictorum, quæ contra Deum, & proximum commiſerunt, vt ea nimirum ipſis diſpliceant, & ſiqui ſpiritus feruore, ſeu deuotione, ſibi, vel alteri presbytero, peccata, quæ hactenus admiſerunt, confiteri velint, audiantur, non quidem, vt eorum abſolutionem accipiant, ſed vt ſic ea ſeriò, & ex animo ſe odiſſe perſpicuum faciant, atque ex huiuſmodi humiliatione, & pudore ſe magis idoneos præſtent ad Baptiſmi gratiam recipiendam, vel vt ad peccata vitanda remedia ſuſcipiant, aut ſpiritualis vitæ præceptis informentur.

## §. LXXV.

In huiuſmodi autem confeſſione non oportebit omnia ſingillatim peccata, neque omnes illorum circumſtantias confiteri, ſicuti in ſacramentali confeſſione fieri debet; ſed grauiora tantùm ſat erit enarrare. Etenim nec eis vlla per Presbyterum ſatisfactio, ſeu pœnitentia imponi, neque abſolutio impendi debet; Verùm ſi vel famæ, vel bonorum reſtitutionem certis perſonis facere teneantur, is eam pro loco, & tempore faciendam imponat.

§. LXXVI.

Cum Baptismi tempus institerit, Sacerdos instruat Competentes de sacramento Baptismi, & de eius ad salutem consequendam necessitate, vtilitate, & effectu.

§. LXXVII.

Hortetur insuper eos, vt ad sacrum Baptisma firma, & constanti fide accedant, atque id simplici, & puro corde, ac sincera mente, quemadmodum diuina gratia renouandos oportet, suscipere studeant, vt gratiam, quæ cuiuis non ponenti obicem confertur, inde consequantur in remissionem omnium peccatorum, iuxta quod scriptum est. *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum*; & paulo post: *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Sap. i. 1. 2. 3. 4. 5. Ac idcirco caueant, ne fictè, & simulatè ad illud accedere præsumant, ne Omnipotens Deus tanto scelere offensus ab eis graues pœnas, magnamque exigat vltionem.

§. LXXVIII.

Ieiunium quoque ante Baptismum, ex veteri more, triduanum, aut biduanum, vel prout videbitur, & sine intermissione oratio eis indicatur, ac sedulò admoneantur, vt ad sacra mysteria suscipienda parati sint.

§. LXXIX.

## §. LXXIX.

Et ad extremum (quoniam post Baptismum confirmandi sunt, & communicare debent) de Sacramentis Confirmationis, & sacræ Eucharistiæ, quantùm eorum statui, & capacitati conuenit, instruantur.

## §. LXXX.

Interea verò parentur eis vestes albæ, vt his suscepto Baptismo mox induantur: quas siqui ob paupertatem sibi comparare haud commodè possunt, vel Præfecti domus Catechumenorum, vel loci Ordinarius pro sua pietate illas eis vndecumque poterunt, comparandas curabunt.



CON-



*CONSTITVTIO XXXII. PAVLI III. Summi Pontificis, per quam, inter alia Neophytorum priuilegia Iudæis, cæterisque Infidelibus ad fidem conuersis conseruatur possessio suorum bonorum, eisdemque applicantur ea, quæ ex vsuris acquisierunt, dummodo ignorentur certæ personæ, quibus restitutio facienda esset.*

# PAVLVS EPISCOPVS
## SERVVS SERVORVM DEI.
### *AD PERPETVAM REI MEMORIAM.*



Vpientes, Iudæos, & alios Infideles quoslibet ad fidem Catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos ante possessorum ab eadem fide non distrahi, motu proprio, & ex certa nostra scientia Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, hac imposterum valitura Constitutione sancimus, quod cuicumque eorumdem Iudæorum, & Infidelium ad dictam

fidem conuerti volenti, etiamsi in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcumque, tam mobilia, quàm immobilia, intacta, & illęsa permaneant. Ita vt etiam filijfamilias, & in patria potestate, vt præfertur, constituti, legitima, & quacumque portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione aliàs debitorum, per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant, sed eis integrè, etiamsi contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus viuentibus, debeantur.

§. I. Et si bona ipsa ex vsura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur malè ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis verò non extantibus prędictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios vsus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudęis, & alijs Infidelibus, in fauorem suscepti Baptismatis, tanquam in pium vsum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic conuersos Iudæos, & alios Infideles remanère decernimus. Interdicentes sub diuini anathematis

tis pœna quibusuis tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi, quouis quæsito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur: sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint.

§. II. Et quoniam, vt scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in ipso? Si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam Ecclesiasticos, quàm seculares per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices. Ipsi quoque Diœcesani non solùm Christianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertenda deuoluuntur, huiusmodi Neophytos substentare non negligant, ipsosque à detractionibus, & contumelijs paterna affectione defendant.

§. III. Et quoniam per gratiam Baptismi ciues Sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longèque dignius existit regnare spiritu, quàm nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt

ciuitatum, & locorum, in quibus sancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur, verè ciues ſint, & priuilegijs, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alij, ratione natiuitatis, & originis dumtaxat, conſequuntur, gaudeant.

§. IV. Curent inſuper Sacerdotes baptizantes, & alij è ſacro fonte eos ſuſcipientes, tam ante Baptiſmum, quàm poſt, illos in articulis fidei, ac legis nouæ præceptis, Catholicæque Eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere, & tam ipſi, quàm Diœceſani operam dent, ne cum alijs Iudæis, ſeu Infidelibus, ſaltem per longum tempus conuerſentur, ne, ſicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occaſio ad priſtinam damnationem recidiuam efficiat.

§. V. Et quoniam experientia teſte compertum eſt, mutuam ipſorum Neophytorum inter ſe conuerſationem ipſos in fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimùm officere, hortamur locorum Ordinarios, vt, quantùm pro incremento fidei viderint expedire, curent, & ſtudeant Neophytos ipſos cum originarijs Chriſtianis matrimonio copulare.

§. VI.

§. VI. Et prohibeant eiſdem ſub grauibus pę-nis, ne mortuos more Iudæorum sepeliant, aut sabbata, aliaſque solemnitates, & antiquæ se-ctæ ritus quoquo modo obſeruent, ſed Eccle-ſias, & prædicationes, prout alij Catholici, frequentent, & in omnibus Chriſtianorum mo-ribus ſe conformes reddant.

§. VII. Contemptores autem prædictorum per Sacerdotes, in quorum Parochijs degent, aut alios, ad quos de iure, vel antiqua con-ſuetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcumque Dięceſanis, ſeu Inquiſi-toribus hæreticæ prauitatis deferantur, & in-uocato, ſi opus fuerit, auxilio brachij secula-ris, per eos taliter puniantur, quòd alijs tran-ſeat in exemplum. Et inſuper de his omnibus in prouincialibus, & synodalibus Concilijs di-ligens fiat inquiſitio, & tam circa Epiſcopos, & Sacerdotes in præmiſſis negligentes, quàm ipſos Neophytos, & Infideles prædictos con-temptores opportunum adhibeatur remedium.

§. VIII. Siquis autem, cuiuſcumque gradus, vel pręeminentiæ fuerit, huiuſmodi Neophy-tos, ne obſeruationem ritus Chriſtiani, & alio-rum prædictorum complectantur, fouerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæretico-

rum

rum promulgatas , ipſo facto incurrat ; Neophyti verò ſi ſe corrigere poſt monitionem canonicam neglexerint , & ad vomitum iudaizantes redire comperti ſint , contra eos tanquam perſidos hæreticos , per Ordinarios locorum , ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta , procedatur.

§. IX. Non obſtantibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus Apoſtolicis , ac quibuſuis priuilegijs , indultis , & literis etiam Apoſtolicis , ſeu etiam Regijs , vel Imperialibus , eiſdem Iudæis , & Infidelibus quomodolibet conceſſis , quæ, quatenus in detrimentum Catholicæ Fidei , aut nominis Chriſtiani , ſeu aliquorum ex præmiſſis , quomodolibet vergent , & ad effectum præſentium , caſſamus , & irritamus , ac caſſa & irrita eſſe decernimus , alijs Decretis , & Conſtitutionibus Apoſtolicis , quæ ſuper præmiſſis ſunt condita , in ſuo robore duraturis.

§. X. Et vt huiuſmodi ſanctæ Conſtitutionis iugis memoria habeatur , & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſſit , illam per ſingulas Cathedrales , & Collegiatas Eccleſias , aliaque pia loca , in quibus vberior erit fidelium concurſus , ſemel in anno ad minus infra diuina publicari volumus , & decernimus.

§. XI.

§. XI. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quòd earumdem præſentium tranſumptis, ſeu copijs etiam impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, vbicumque forent exhibitę, vel oſtenſę.


Dat. Romę apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die xxi. Martij MDXLII. Pontificatus noſtri Anno viii.

IDipſum, quoad poſſeſſionem bonorum, multò ante decreuerat Gregorius IX. Pontifex Maximus, vt habetur *Libro 5. Decretal. tit. 7. de Iudæis, & Saracenis: Cap. Iudæi 5.* vbi dicitur. Siqui pręterea, Deo inſpirante, ad fidem ſe conuerterint Chriſtianam, à poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis ad fidem conuerſos eſſe oporteat, quàm, antequàm fidem ſuſceperint, habeantur. Si autem ſecus factum fuerit, Principibus, ſeu Poteſtatibus eorumdem locorum iniungimus ſub pœna excommunicationis, vt portionem hęreditatis ſuę, & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi.

Ita ſtatuerunt felicis recordationis Summi Pontifices

Gre-

Gregorius IX., & Paulus III. quorum Decreta venerantur, suisque scriptis commendant, ac pluribus rationibus confirmant vnanimi consensu Doctores tam Theologi, quàm Canonistæ, vt videri potest infra *Concl. VII. per tot.* vbi agitur *de Neophytis*,





# DIVERSAE CONCLVSIONES

## AD CATECHVMENORVM, Neophytorumque materiam spectantes.

## CONCLVSIO I.

*Catechumeni non sunt in Ecclesia, nec veniunt in dispositione loquente de Christianis; habent tamen aliqua cum Christianis communia.*

1 

QVamuis Catechumeni (ita vocantur Infideles, quamdiu instruuntur in fide pro susceptione Baptismi; nam postquam instructi sunt, Competentes, hoc est quasi Baptismum simul petentes, dicuntur) elicito actu fidei de omnibus ijs, quæ scire, & explicitè credere necessarium est necessitate medij ad salutem, nimirum, Deum esse, eumque remuneratorem bonorum, & punitorem malorum, Vnum in essentia, & Trinum in personis, quarum secunda humanam carnem in

G Vir-

Virginis vtero assumpsit, & mortem subijt in Cruce pro salute humani generis, quæ omnia debet adultus credere tanquam à Deo, qui nec fallere, nec falli potest, reuelata, & emisso actu contritionis de omnibus anteactæ vitæ criminibus cum desiderio suscipiendi Baptismi, Christiani dici possint in voto, seu per Baptismum flaminis, & si ante Baptismum in re, seu fluminis absque eorum culpa decedant, salutem æternam consequantur, quia flagrans desiderium Baptismi vicem supplet, vt inqnit *Text. in cap. 2. in fin. de Presbyteris non babtizatis. cap. Maiores ad fin. de Baptism. 1. cap. Baptismi 4. distinct.* & docent D. Thom. *in 4. sentent. dist. 6. quæst. 2.* Turrecrem. *in cap. si quis de consecrat. dist. 4.*, & alij;

2 Nihilominus nec sunt in Ecclesia, quia nondum eam visibiliter per Baptismum fluminis ingressi sunt, nec veniunt in dispositione loquente de Christianis, vt pluribus relatis, & contrarijs respondendo latè probat Ricciull. *de Iure personar. lib. 3. cap. 4. & cap. 7.* Ex qua doctrina deducitur

3 PRIMO. Catechumenos constitutionibus Ecclesiasticis minimè ligari. Sanchez *in præcept. Decalogi lib. 1. cap. 12. num. 14.* Azor. *instit. moral. tom. 1. lib. 7. cap. 28. quæst. 3.* Alterius *de censur. tom. 1. lib. 5. cap. 2. lit. D. vers. Sequitur sexto.* Vnde nec tenentur præcepto, *cap. Omnis vtriusque sexus de pænit & remis.* vt docent Sot. *in 4. distinct. 18. quæst. 1. artic. 3. conclus. 1.* Suarez *tom. 3. par. 3. quæst. 80. artic. 11. disput. 69. sect. 2.* Nec ligantur vinculo excommunicationis, cuius censuræ incapax est quicunque caret Baptismo, *cap. Gaudemus*

*ex-*

*extra de diuort.* vbi Ancharan. *num.* 19. Marquard. *de Iudæis p.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Vgolin. *de censur. cap.* 17. §. 5. *num.* 3 Alterius *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *lit. A.* Nauarr. *in Manuali cap.* 27. *num.* 13. & iterum *de Iubilæo num.* 48. *vers.* 4. & alij apud citatos.

4 SECVNDO. Catechumenum, si ad suam sectam reuertatur non esse Apostatarum pœna damnandum. Farinac. *de Hæresi quæst.* 117. *num.* 31. Simanc. *de Cathol. instit. tit.* 31. *de Hæretic. num.* 6., & alij; quamuis contrarium dixerit Alter. *de censur. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2.

5 TERTIO. Non esse cognationis spiritualis capacem, nec, quamuis postea baptizetur, contrahere cognationem spiritualem cum ea, quam vel baptizauit, vel in baptismo suscepit; ratio est, quia tempore inhabili Baptizantis, vel Patrini personam gessit. Ioannes Sanch. *in Select. disp.* 40. *num.* 15. *&* 16. qui *num.* 17 consequenter infert, Catechumenum, si carnaliter cognoscat quam baptizauit, vel suscepit, incestum spiritualem non committere.

6 QVARTO. Non posse contrahere matrimonium cum fideli, vt innuit Text. *in cap. Caue* 28. *quæst.* 1. & docent D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 1. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 71. *num.* 2. Comitol. *respons. moral. lib.* 1. *quæst.* 117. *in fin.* & alij communiter.

7 QVINTO. Nec posse lucrari indulgentias, quia indulgentiæ, quæ viuis conceduntur, solent concedi per modum absolutionis, & sub conditione quòd sint confessi, & sacra Communione refecti, quæ Catechumeni præstare nequeunt, cum sint incapaces. *cap. veniens de Presbyt.* Et docet Nauarr. *de*

*Iubilae not.* 31. *num.* 10. Suarez *tom.* 4. *quæst.* 53. *sect.* 3. *num.* 15. licèt aliqui contrarium senserint.

8 SEXTO. In votis Catechumenorum non posse dispensari per Episcopum, quia non subduntur Ecclesiasticæ potestati, & dispensatio est quædam absolutio procedens à spirituali potestate, vt rectè probat Sanchez *in Decal. lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 37. contra Henriq. *lib.* 7 *de indulgent. cap.* 20. *n.* 8.

9 SEPTIMO. Catechumenum carnaliter cognoscentem mulierem Christianam eadem pœna puniendum, qua punitur Infidelis. Menoch. *de arbitrar. casu* 290. *num.* 17. *& seq.*

10 OCTAVO. Pœnam statutam contra offendentes Christianos non habere locum contra offendentes Catechumenum, cum in pœnalibus destinatum non habeatur pro facto. Menoch. *de arbitr. casu* 290. *num.* 20. *& seq.*

11 NONO. Catechumenum non posse adipisci gradum Doctoratus, à quo repelluntur cœteri infideles. Ricciull. *lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 20.

12 DECIMO. Non esse capacem legati distribuendi pauperibus Christianis, nisi contrarium constet de voluntate Testatoris. Idem *loc. cit. num.* 21.

Plura alia possent deduci, quæ breuitatis causa omittuntur, & inferri possunt ex supradictis.

Sed maior difficultas est, an Catechumeni decedentes ante Baptismum tradi debeant Ecclesiasticæ sepulturæ cum pompa, & ritu Christianorum.

13 Et quamuis ex supradictis negandum esse videatur, idque prohibeat Concilium Bracharens. *I. cap.* 34. *&* 35., & docet Durand. *de ritibus Ecclesiæ lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 14. Gauant. *in Manual. Episcop. V. Hebræi n.* 50., & alij.

14 At-

14 Attamen contrarium tenendum est, vt habetur *cap. 2. de Presbyteris non baptizatis*, vbi etiam quòd pro ijs possit orari, & docent Anton. Thesaurus *de pœnis Ecclesiasticis part. 2. V. Sepultura cap. 6. vers. Limita quòd Catechumenus*. Samuell. *de Sepultur. tract. 2. disp. 1. controu. 4. conclus. 13. num. 19.* & nouissimè Petrus de Murga *in disquisit. moral. & canonic. tom. 2. disquisit. 1. dub. 11. num. 12.* fort asse oblitus quod contrarium doceret *tom. 1. tract. 2. disquisit. 4. dub. 7. num. 5.* Et ipsis posse applicari indulgentias concessas per modum suffragij pro defunctis, quia sunt etiam ij in charitate defuncti, docet Suarez *tom. 4. disp. 53. sect. 3. ante num. 16.* Dicuntur autem defuncti in charitate, vel quia per ipsos non stetit, quominus baptizarentur, quo casu dicuntur baptizati in flamine. *d. cap. 2. in fin. de Presbyt. non baptiz. cap. maiores ad finem de Baptism.* vel si fuerunt in aliqua negligentia, fuerunt de illa contriti. Turrecrem. *in cap. si quis. sub num. 1. vers. Peccat autem, de consecrat. dist. 4.* Ricciull. *lib. 3. cap. 6. num. 13.*

15 Immo quòd pro eis possit sacrificium Missæ offerri, docet Pasqualig. *de sacrific. noua legis tract. 1. quæst. 151. per tot.* vbi citat Bellarmin. Suarez, Coninch. vtrumque Lugo, & alios vsque ad 19.. Et contrarijs egregiè respondet, vt aliàs dixi in meo Enchiridio *lib. 2. tit. 8. rubr. 3. in Not. num. 2.*

Obijci potest Catechumeni non sunt subditi Ecclesiæ quo ad pœnas, vt supra dictum est, ergo neque ad priuilegia.

16 Sed negatur consequentia, nam Catechumeni sunt in vtero Ecclesiæ mox edendi in lucem per Baptis-

mum,

nium, & appellantur initiati orthodoxorum mysterijs *l. 3. C. ne sanctum Baptisma*, & existimantur tanquam Nouitij in Religione, *cap. sicut, dist.* 48.; ideoque absurdum non est, quod gaudeant priuilegijs Ecclesiæ, licèt non subjiciantur eiusdem pœnis: sicuti Nouitij gaudent fauorabilibus Religionum, & nō ligātur pœnalibus, vt pluribus relatis firmat Nouarius *de elect. & variat. fori sect. 2. quæst. 63. num.* 15. *&* 18. quicquid in contrarium sentiat Peregrin. *in addit. ad Constit. Cler. Regul. p. 3. quæst.* 8.

17 Vnde nec mirum, quòd gaudeant etiam priuilegijs miserabilibus Personis concessis, nam inter eas etiam nuper ad fidem conuersi enumerantur à Nouario *in Tract. de priuileg. miserab. person. prælud.* 8. *num.* 6.


18 Nec possumus inficiari, Catechumenos esse conuersos ad fidem, cum verè sint Christiani in voto, vt supra dictum est *num.* 1. alijsque priuilegijs gaudeant, vt nuper ostendimus.

19 Quæ autem sint huiusmodi priuilegia miserabilibus Personis concessa, videatur idem Nouarius *in d. Tract.* vbi *in tota sect.* 2. enumerat prædicta priuilegia vsque ad CLXXVI. inter quæ non vltimum sibi vindicat locum priuilegium electionis, & variationis fori, eoque gaudere conuersos ad fidem docet præcitatus Nouarius *de elect. & variat. fori sect.* 1. *quæst.* 48. *per tot.*

20 Et quando quis vrgeret, Catechumenos tali priuilegio non gaudere, cum ante Baptismum dici nequeant conuersi ad fidem, quod ex ratione supra allata negamus, & ex alia, quòd proximè cingendus habetur pro cincto, vt dicitur *in cap. qui*

*Presbyterum, de pænit., & remiss.*; nihilominus hoc, & alijs priuilegijs gauderent ex alio titulo, videlicet tanquam pauperes; nam regulam esse communi calculo Doctorum receptam, pauperem in miserabilium personarum numerum reponi, & vt talem gaudere priuilegio electionis fori pluribus relatis firmat Nouar. *loc. cit. quæst.* 32. *num.* 1.





*tia, & Iure, tom. 2. tract. 2. de Contractibus, disp. 252. num. 3.* Couarruu. *in cap. quamuis pactum 2. partis relect. §. 4. num 16. vers. Deinde ne quis existimet.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 5. num. 20.* Valer. *de different. vtriusque fori, in Verbo Promissio, diff. 1.* Bonacin. *de Contractibus, disp. 3. quaest. 12. pun. 2. num. 4. & 5.* Castropal. *in Summa Operis moral. par. 7. tract. 32. de Iustitia Commutat. disp. 2. pun. 2. num. 1.*

2 Hinc patet, nos non versari in terminis simplicis pollicitationis non obligantis etiam de Iure Canonico, prout perperam videtur sensisse Marta, qui in eadem specie casus nostri pro Hebræis consuluit, *in Cons. 184. num. 10.*, & quem obiter allegat, & sequitur Tondut. *quaest. & resolut. beneficial. cap. 48. num. 7. lib. 1.* Quia promissio post acceptationem sortitur veram rationem promissionis, & non pollicitationis, iuxta *l. 1. ff. de pollicitat. & l. nuda pollicitatio, C. de contrahen. stipulat.* cum similibus, & ex communi notant Doctores apud Castropal. qui alios refert *d. disput. 2. pun. 1. num. 5.*

3 Quòd verò Ecclesia oblationem acceptauerit, non videtur controuerti; supponitur enim, quòd eius ministri Infantulum receperint, & per plures dies tam Patri, quàm filio alimenta præbuerint, ad hoc vt Pater necessaria catechesi instrueretur, ac deinde posset vtrique Sacramentum Baptismi administrari; sufficit autem quod acceptatio signis, aut verbis quomodocumque exprimatur. Less. *de Iust. & Iure lib. 2. cap. 18. dubit. 1. & 6.* Layman *in Summ. lib. 3. sect. 5. tract 4. cap. 1. num. 3.* Castropal. *in praaleg. disput. 2. pun. 1. n. 1. & pun. 3. n. pariter 1.*

4 Præterea etiamsi oblatio prædicta habenda foret pro simplici pollicitatione, vt voluit Marta, adhuc tamen esset irreuocabilis; tum quia respicit fauorem fidei, qui est amplissimus, *cap. in fidei fauorem, de Hæretic. in 6. cap. final. de conuers. Infidel. cap. Iudæi* 38. *quæst*. 1. Gratian. *discept. forens. cap*. 477. *num*. 21. & speciale est, quod ex pollicitatione facta Deo, & Ecclesiæ oriatur actio, & promissio sit irreuocabilis etiam absque alia acceptatione, cum Deus, qui vbique præsens est, acceptet. Felin. *in cap*. 1. *de pactis, num*. 7. Couarruu. *in cap. quamuis pactum d*. §. 4. *num*. 16. *versic. Deinde*, cui suffragatur Sanchez *de matrim. lib*. 1. *disp*. 6. *num*. 17. qui tenet hoc solùm procedere, quotiescumque animus promittentis non fertur in rem creatam, cui promittit, sed in Deum, prout in dubio præsumitur. Molin. *de Iust. & Iure tom*. 2. *tract*. 2. *disp*. 262. *num*. 16. Diana *variar. resolut. par*. 3. *tract*. 5. *resolut*. 107. *vers. Non reticebo*, & ex pluribus comprobat Rot. *in decis*. 773. *num*. 9. *coram Dunozeto Iuniore*; tum etiam continet fauorem filij infantis, cui Pater offerendo illum Ecclesiæ Baptismum promisit: promissio autem facta infanti, & ratione carenti, ob eius fauorem fit irreuocabilis, etiam non sequuta acceptatione. Molin. *de Primogen. Hispanor. lib*. 4 *cap*. 2. *n*. 75. Sanchez, qui alios cumulat *d. disput*. 6. *num*. 15.

5 Non obstat, quòd oblatio filij censeatur à Patre facta subordinatè, & accessoriè, nempe quatenus perseuerauerit in voluntate suscipiendi Baptismum, adeo vt illa mutata potuerit etiam repetere filium in consequentiam, & per accidens oblatum, exemplo eius, qui religionem ingrediens omnia bona sua Ecclesiæ donat,

donat, & si exeat, illa recuperat, tanquam oblata sub tacita, & subintellecta conditione, si offerens in Religione perseuerauerit, vt ponderat Marta *in pracitato Cons.* 184. *num.* 9. *&* 10.

6 Etenim obiectio, in qua punctum controuersiæ, meo iudicio, consistit, tollitur aduertendo, quòd non potuit Pater, nec etiam respectu sui ipsius, reuocare promissionem sponte factam recipiendi Baptismum; Et licèt de facto iuxta veriorem, & magis receptam sententiam non compellatur ad obseruandam fidem, hoc non procedit, quia Ecclesia ex vi promissionis non possit illum compellere ad suscipiendum Baptismum, prout posse clarè probant, Marquard. *de Iudæis par.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. Ricciull. *de Iure personar. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 26. Boss. *de patr. potestate cap.* 3. *num.* 349. *vers. quemadmodum*. Barbos. *in Collectan. Decretal. ad Text. in cap. de Iudæis* 5. *dist.* 46. *num.* 3.; sed quia non expedit Baptismum coacto cōferre cum periculo, quòd ipse fictè suscipiat Sacramentum salutis, ac deinde apostatandi occasionem arripiat; qui tamen reuocando voluntatem, ac promissionem suscipiendi Baptismum efficitur verus Apostata coram Deo, & in foro conscientiæ reus grauissimi criminis propter contemptum tanti Sacramenti, & iniuriam Spiritui Sancto illatam, quamuis non appelletur Apostata strictè in foro exteriori, quia in Ecclesiam nondum fuit ingressus, & in hoc omnes conueniunt, ac signanter docent, Petrus Hurtad. *disp.* 89. *de fide* §. 3. Lorca *disp.* 50. *num.* 11. Suarez *disp.* 16. *sect.* 5. *in fine*. Cardin. de Lugo, *de virtute fidei diuina disp.* 18. *sect.* 4 *pun.* 2. *num.* 97. Ricciull. *de Iure personarum, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 32. Farinac. *de Hæresi, quæst.*

178. §. *6. num.* 131.

7 Quamobrem non applicatur exemplum Nouitij Religionem ingredientis, quia iste nulla obligatione adstringitur ad perseuerandum, & profitendum in Religione, cui nihil Iuris acquiritur super Persona, & bonis eiusdem, antequàm valida sequatur professio; adeo vt Nouitius quandocunque licitè possit exire, & bona sua secum ferre, ita expressè disponente Sacro Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 16. vt & latè comprobat Barbos. *in Collectan. ad Concil. d. cap.* 16. *num.* 48.

8 Nec vrget Replicatio, quòd nihilominus non debeat baptizari filius infans, dum ad suscipiendum Baptismum non compellitur Pater, qui per accidens, & accessoriè ad se ipsum obtulit filium, iuxta vulgarem regulam, quòd accessorium sequitur naturam sui principalis. Quoniam Pater non cogitur, vt supra dicebam, ad euitandam fictionem, & Apostasiæ periculum, quæ ratio non militat in filio infante, ac rationis experte, in quo propterea non cadit periculum fictè suscipiendi Baptismum, & apostatandi, cum debeat educari inter fideles, licèt de facto inuito Patre baptizaretur, vt reprobando Calderin. *in cons.* 390. *aliàs* 3. *sub tit. de Iudæis. vers. ad secundum consuluit*, in quo se fundat Marta *in allegato Cons.* 184. *num.* 4. plenè comprobat Ricciull., qui testatur opinionem Calderini in Romana Curia fuisse declaratam erroneam, ac falsam, *de Iure personar. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 4. 5. *&* 6. Castropal. *in Summ. Operis Moral. par.* 4. *tract.* 19. *disp. vnic. pun.* 6. *num.* 8. Boss. *de Patria Potest. cap.* 3. *num.* 319. Carena *de Off. SS. Inquisi-*

*quisitionis par.* 2. *tit.* 15. §. 20. *num.* 45. vbi autem non viget eadem ratio inter principale, & accessorium, nec eadem vigere debet dispositio, vt est communis limitatio regulæ, iuxta tradita per Surd. *decis.* 27. *num* 11. & latè per Barbos. *de Axiomatibus Iuris vsu frequentioribus axiomate* 4. *num.* 10.

9 Ex quibus concludendum videtur, Ius patriæ potestatis non obsistere, quominus iste infantulus etiam reluctante Patre baptizari debeat; nam, vt hoc dilemmate vtar; Aut per oblationem illam spontaneam Ecclesiæ à Patre factam fuit liberatus à Patria potestate, prout per expositionem apud Christianos liberantur filij infidelium, qui tanquam sub cura, & Charitate Christianorum existentes possunt etiam inuitis Parentibus baptizari. Azor. *Instit. Moral. par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 1. Ricciull. *de Iure Personar. lib.* 2. *quæst.* 32. *num.* 30. Boss. *de patr. potest. cap.* 3. *num.* 341. Aut saltem stante oblatione prædicta Pater amisit ius contradicendi, adeo vt nunc dicatur irrationabiliter inuitus; tunc autem solùm Infidelium filij dicuntur baptizari inuitis Parentibus, quando ab eis per vim auferuntur. Glosſ. *in cap. Iudæorum* 11. *quæst.* 1. Abb. Felin. & alij *in cap. sicut de Iudæis*, congesti per Panzirol. *cons.* 101. *num.* 24.

10 Et ideo, cum in præsenti casu non subtrahatur Patri filius infans, quem ipse sponte obtulit Ecclesiæ, & post Baptismum educari debeat apud Christianos, cessat ratio, vel iniuriæ, quæ fit Parentibus, subtrahendo illis filios infantes, ipsis inuitis baptizatos, vel periculi peruersionis, relinquendo dictos filios

apud

apud Parentes; cui rationi tanquam fundamento innititur communior, & magis recepta sententia docens, quòd filij Infidelium contra Parentum voluntatem ante vsum rationis non posint licitè baptizari, vt videre est apud D. Thomam, *in locis supra citatis*, & ponderant DD. cumulati per Bonacin. *de Sacram. disput.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 6. *num.* 12. Castropal. *in Summ. Operis Moral. part.* 4. *tract.* 19. *disp. vnic. pun.* 6. *num.* 12. Leand. *quæst. moral. Theologicar. part.* 1. *tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 9. & alij passim.

*Ita seruandum præscribitur supra* in Methodo recipiendi Catechumenos. §. 46. *& ita seruatum fuit* Florentiæ *Anno* 1644. *& iterum* Liburni 1675.

*Et quod dictum est de infante dicendum esse etiam de perpetuò amente, vide infra* Concl. 6. *num.* 5. *vers. Quod dicitur.*




CON-



# CONCLVSIO III.

*Puer Hebræus, seu alterius sectæ Infidelis, Baptismum petens ante septennium, si dubitetur de vsu rationis, nihilominus, vel baptizandus est, vel saltem apud Catechumenos retinendus, donec septennium compleat, & rationis vsum acquirat.*



ÆC *conclusio est* Ioannis de Lugo Viri dignitate, ac doctrina Eminentissimi, *in suis Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 4. *vbi casum proponit, & resoluit, vt infra*.

1 Contigit Romæ, vt paruula quædam puella casu inueniretur longè ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de suis Parentibus respondit, se Parentes habere Hebræos, & velle fieri Christianam: conducta ergo ad Catechumenorum domum, Parens petijt sibi filiam restitui, quæ adhuc sui iuris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de religione. Consultus ego tunc fui, & examinaui puellam, nec perfectum rationis vsum affirmare potui, nec etiam sufficientem negare, sed mansi dubius. In quo dubio Henriquez *lib.* 2. *de Baptismo, cap.* 21. Naldus *V. Baptismus num.* 6. Chamerota *de Baptismo*

*mo, cap. 6. dub.* 3. & alij , quos refert Bonacina *de Sacram. disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 6. *num.* 11. Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 11. cum alijs, quos refert Diana *par.* 7. *tract.* 11. *resol.* 40. dicunt non esse baptizandum filium inuitis Parentibus, quia in dubio melior est conditio possidentis, & tunc Parentes possident filium : ipse verò Bonacina idem concedit, si filius non compleuit septennium, quia tunc in dubio non præsumitur vsus rationis; secus, si illud compleuit, quia tunc in dubio rationis vsus præsumitur.

2 Ego, quoniam puella illa septennium non compleuerat, & de sufficienti rationis vsu dubitabatur, dixi Baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis vsu certò constare posset de sufficienti eius voluntate : interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiæ causa retinendam in eadem Catechumenorum domo: quod quidem negandum non puto ab Auctoribus primæ sententiæ, quippe qui solùm dicunt, non esse in eo dubio, Parentibus inuitis, baptizandam, non tamen dicunt esse illis reddendam. Alij autem communiter dicunt, in dubio fauendum esse puero, & dandum illi Baptismum. Ita Suarez 3. *tom. in* 3. *par. disp.* 25. *sect.* 3. qui tamen monet, vt, si fieri potest, differatur, si verò vrgeat necessitas, baptizetur. Videri etiam possunt alij *in* 3. *par. quæst.* 6. *art.* 10. Vasquez, Coninck, Cabrera, & alij scribentes *de Sacramento Baptismi*, vt Layman, Camerota, & Ochagauia, atque etiam Sotus *in* 4. *dist.* 5. *quæst unic. art.* 10. *dub.* 2. Ioan. Antonius Nouarius, quem affert Diana *loc. supra cit.* qui omnes dicunt, iudicandum esse in fauorem Baptismi, quando dubium est de vsu ra-

tionis sufficienti in puero volente, inuitis Parentibus, baptizari.

3 Et quidem ratio illa, quòd Parentes sunt in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis, parùm probat in casu nostro. PRIMO, quia regula intelligi debet in pari causa, qualis non est in præsenti causa Patris, & Filij, sed valde dispar: nam Pater agit de vitando leui detrimento, nempe potestatis patriæ ad modicum tempus; Filius verò agit de grauissimo detrimento, nempe de damnatione æterna, cuius aperto periculo exponitur, si redeat ad Infideles, & proterui Parentis possessionem. Immo nec in causa ciuili circa bona fortunæ fauendum esset eo casu possessori; finge enim gemmam, quam à Rege, vel Principe tuo in signum eximiæ beneuolentiæ dono habuisti, tibi clam ablatam, vel casu amissam, venisse ad manus Titij, vbi, cum illam recognoscens eam tibi vindicasti, Titius clamat, se in sua possessione tuendum; tu contra opponis, periculum graue esse, ne interim, dum tu probas gemmam esse tuam, Titius eam alienet, vel in remotissima loca mittat, & id cum tuo grauissimo periculo, si Princeps gemmam tibi datam apud alium esse cognoscat, & idcirco te à sua gratia, & beneuolentia expellat: Quis dicat, non debere Iudicem, ad te incolumem reddendum, gemmam saltem interim in loco tuto deponere, nisi fortè talis fideiussio exhiberi possit, quæ periculis omnibus sufficienter occurrat? Exemplum etiam commune esse potest, si vxor periculum vitæ à viro suo timens fugiat, quam vir reddi sibi petit, donec periculum probetur; quia in dubio non debet sua possessione priuari: cer-

tè Iudex non debet eam viro reddere, sed collocare in loco tuto, quamdiu periculi grauitas examinatur; quia non est possessori fauendum cum tanto vxoris periculo. Multò ergo minùs in casu nostro puella reddenda est patri Iudæo, nec possessio prodesse debet cum tanto puellæ periculo, quæ apud Patrem facilè à fide concepta deficiet, vel blanditijs paternis affecta, vel verberibus, aut minis deterrita, vel fortasse, ne baptizetur, occidetur, vel in remotissimas prouincias Infidelium transmittetur. Quis credat fauendum esse possessioni Parentum cum tanto puellæ detrimenso, & periculo, & non potius deponendam puellam in loco tuto, vt eius voluntas liberè examinetur, & dubium omnino tollatur?

4 SECVNDO, non obstat possessionis fauor in casu nostro, quia obstat alia regula communis, & fortior; nam sicuti in pari causa, & in dubio melior est conditio possidentis, ita, & multò magis in dubio fauendum est potius innocenti, quam nocenti; id enim postulat æquitatis ratio, vt quando vtrique satisfacere non possumus, faueamus potius innocenti, quàm nocenti, cum ex innocentis fauore duo bona appetibilia resultent, nempe defensio innocentiæ, & honestatis, ac etiam punitio iniquitatis, & malitiæ; è contra verò si faueamus nocenti, duo contraria mala resultant, nempe vexatio, & confusio honestatis, ac innocentiæ, & exaltatio, & quasi remuneratio iniquitatis, & malitiæ. Ratio ergo totius æquitatis exigit, vt in causa dubia semper magis innocenti, quàm nocenti faueamus. Nec dubitari potest in hoc casu Patrem nocentem esse, cui non satis est propria Infidelitas, & perfidia, sed filiam etiam perfidam, & infi-

infidelem esse conatur: Filia autem innocens est, quia vel vsum rationis non habet, & tunc constat esse adhuc in statu innocentiæ expertis totius culpæ personalis; vel si habet vsum rationis, tunc constat, eam in hac causa innocentem esse, cum fidem, & salutem æternam quærat, & idcirco Parentes proprios fugiat, & relinquat.

5 Videri denique potest de toto hoc argumento Ambrosius Catarinus *in suis Opusculis*, vbi habet opusculum quoddam *de pueris Iudaeorum filijs baptizandis, quando Parentes ea de causa fugiunt*; sed cautè legendus, quia excedit, probans non esse validum Baptismum, si ante rationis vsum, inuitis Parentibus baptizentur. Meminit etiam in confuso cuiusdam Martini Papæ (quem non dicit, an fuerit Quintus, vel aliquis alius) cuius dicit referri solere nescio quam constitutionem, qua decernit, eiusmodi filios hebræos non posse ante decimum, vel duodecimum annum baptizari, cui respondet, opponendo responsum, & factum Iulii III. qui ante eam ætatem puerum inuito tutore baptizari iussit. Hæc tamen omnia ad casum nostrum non pertinent, in quo non erat controuersia, an puella paptizanda esset, sed an Patri reddenda in dubio de vsu rationis sufficiente; in quo dubio de facto reddita non fuit, sed in loco tuto deposita, donec suo tempore, & explorata iam eius voluntate cum certissimo rationis vsu baptizata fuit.

*Hac habet* Eminentissimus de Lugo, *quibus vel vnum apicem addere, aut detrahere temerarium putaui, ideoque de verbo ad verbum ea transcribere operapretium duxi*.

Videri etiam poteſt Tamburin. *in decalog. lib.* 1.*cap.* 3. §. 7. *V. Baptiſmus,num.*3. vbi cum Vaſq. Suar. & Laym. docet, in tali caſu non eſſe differendum, ſed ſtatim conferendum Baptiſmum, non obſtante dubio de vſu rationis, & reiectis alijs opinionibus hanc certam pronuntiat ſententiam, & rationem adducit; quia, inquit, bonum pueri tam ingens debet propter obligationem charitatis quaſcumque inferiores præſumptiones euincere. *Videatur ſupra in Methodo* §. 22.





CON-



# CONCLVSIO IV.

*Non est licitum permittere Hebræis, vt Catechumenum ex suis alloquantur, eiusque examini intersint, propter periculum peruersionis.*

HViusmodi assertio probari potest pluribus modis.

1 PRIMO, quia idipsum videtur statutum *in cap. sicut Iudæi*, vbi dicitur, *si quis ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia* (hoc est sine impedimento, inquit Glossa) *efficiatur*. Ex quibus verbis deducunt DD. Parentes Catechumeni, etiam pueri, non esse citandos pro suo iure, & interesse, iuxta *l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* ad hoc, vt intersint examini, & audiant Catechumenum dicentem, se velle Christianum fieri, vt certi esse possint de eius voluntate. Satis enim est, quòd Catechumeni patefacta sit voluntas, nec requiritur, quòd nota sit Hebræis Parentibus, vt habetur *in d. cap. sicut Iudæi*.

2 Nec refert, quòd Catechumenus sit puer, quia dum habet vsum rationis, qui expleto septennio præsumitur, vt ex probabiliori DD. sententia affirmat Spe- rellus *in decis. For. Eccl. part. 1. decis. 1. num. 31.*

in

in ijs, quæ ſpectant ad ſalutem, eſt ſui iuris, & non ſubiectus patriæ poteſtati. D. Thom. *in Sum. part.* 3. *quaſt.* 68. *art.* 10. & alij communiter. Et ideo ſicuti poſt vſum rationis poteſt baptizari inuitis Parentibus. Trullench *lib.* 2. *dub.* 6. Suarez *diſp.* 25. *de Bapt. ſect.* 3. Bonac. *diſp.* 2. *quaſt.* 1. *punct.* 6. Leander *part.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 25. *quaſt.* 14. *& eſt communis:* poteſt etiam baptizari eis non citatis; quia numquam debet citari ille, quo inuito actus poteſt expediri. *L. qui poteſt.* vbi Dec. *num.* 2. *de regul. iur.* Alex. *conſ.* 6. *num.* 21. *lib.* 3. Vantius *de nullit. ex defectu citat. num.* 20. Addit pluribus relatis Bonac. *diſp.* 2. *de Sacram. quaſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 12. *verſ. Reſpondeo primò*, puerum infidelem poſt vſum rationis, ſi Baptiſmi voluntatem oſtendat, poſſe (alij dicunt debere) Parentibus ſubtrahi, vt peruerſionis periculum euitetur; multò magis quando ſponte confugit ad Eccleſiam, cauendum eſt, ne eum Parentes alloquantur propter idem peruerſionis periculum.

3 His, & ſimilibus rationibus permotus Ioann. Bapt. Ciarlin. *in ſuis controuer. foren. Iudic. cap.* 42. *num.* 41. quem allegando ſequitur Carena *de offic. Inquiſit. par* 2. *tit.* 14. *de Iudæis* §. 20. *n.* 45. *verſ. Et poſt hęc,* expreſsè aſſerit, nullo modo permittendum eſſe, vt tales Catechumeni Hebræos alloquantur, quia res eſt, inquit, plena periculi, & comprobat experientia, dicens, in quadam ciuitate Prælatum importunitatibus Hebræorum deuictum permiſiſſe ijs, vt puellam ad fidem conuerſam viderent, & alloquerentur Parentes, adſtantibus matronis, & ipſo Prælato; quæ fuit adeo commota eorum querulis vocibus, vt

vix

vix in proposito permanserit, & contra Prælatum exclamauerit: Eheu in quanto periculo posuisti animam meam! Et concludit Auctor; ideo penitus cauendum est, ne Hebręi visitent Catechumenos, ne animos eorum à Christiana Religione auocent. Et si fortè id conentur facere, possunt ab Episcopo puniri tanquam sacrilegi; vt post Bald. & Tusch. dixit Vgolin. *de officio Episcopi part. 1. cap. 23. num. 2. vers. interim*. Et quòd omnes ad id auxilium præstantes, vtpote Iudæum baptizari quodammodo impedientes, possint vtì de fide suspecti inquiri, tradit Marquard. *in tract. de Iud. part. 3. cap. 2. in fin.* relatus à Sperello *loco cit. num. 20.*

Sed si Ciarlinus tam enixè rogat, omnino cauendum, ne Hebræi Catechumenos alloquantur propter vnicum casum puellæ supradictæ, quæ pene propositum mutauit; quid dixisset, si ei constitisset, plures ob eamdem causam à proposito Baptismi suscipiendi defecisse?

4 SECVNDO probatur non licere id Hebræis permittere, quia est contra præceptum fidei profitendæ. Ex præcepto enim fidei, quo quisque tenetur eam exteriùs profiteri iuxta illud Apostoli: Rom. x. 10. *Corde enim creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, tenetur etiam vitare quodcumque periculum eam abnegandi: Et ex paritate rationis, sicuti quis peccaret mortaliter exponendo se ipsum tali periculo, ita etiam eiusdem piaculi reus efficitur exponendo alios. Quòd autem exponatur periculo abnegandæ fidei, quam interiùs profitetur Catechumenus, dum admittuntur ad illum alloquendum Hebræi, præsertim Parentes, & alij consanguinei,

nei, satis manifestè constat, dum plures tam adolescentuli, quàm prouectę ætatis, qui magna instantia, & ardenti desiderio Baptismum postulauerant; Parentes, seu alios consanguineos allocuti (testis ego oculatus hæc scribo) ad Iudaismum, quasi magnetica vi attracti sunt; nisi magnetica vehementior esset vis carnis, & sanguinis, quæ maiorem ingerit tentationem, quàm vt vel adamantinum pectus valeat sustinere. Ecquis enim est animo adeò constanti, vt propter fidem, quam nondum benè agnouit, valeat Patrem, & Matrem in eorum præsentia abnegare, qui profusis lacrymis, altis suspirijs, vlulatibus vehementibus, tunsione pectoris, laniando crines, & vultus, eò desperationis se deuenisse ostendunt, vt sibi mortem consciscere minitentur, nisi filium in vlnas receptum ad propria deducant? Sed frustra probare contendo, quod multiplici experientia manifestum meridiana luce clarius agnoscitur.

5 Quòd autem Catechumenus iam rudimentis fidei instructus peccet mortaliter reuertendo ad suos, probatur, quia verè est Christianus per Baptismum flaminis, hoc est per Sacramentum Baptismi in voto cum actu contritionis, & proposito suscipiendi Sacramentum in re: & sic, quamuis sine Baptismo fluminis, vt inquiunt, ex hac vita decederet, æternam tamen salutem consequeretur, vt fusius probauimus supra *conclus. 1. n. 1. & conclus. 2. n. 6.*

6 Nam quòd Baptismus in voto iustificet Catechumenum, ita vt recipiat fidem, gratiam, & charitatem, & quamuis non simpliciter, fiat tamen aliquo modo membrum Christi, & Ecclesiæ, docent communiter DD. cum D. Thoma *in 4. distin. 4. quæst. 2. art. 2.*

& Tur-

& Turrecr. *in cap. Ad hoc quaest.* 1. *de Consecr. distinct.* 4. Et ideo probabile est, esse capacem Ecclesiasticæ sepulturæ. Bonacin. cum alijs, *disp.* 3. *de contract. quaest.* 21. *pun.* 2. & suffragiorum Ecclesiæ, Anton. Thesaur. *de pęnis Ecclesiast. seu canon. part.* 2. *V. Sepultura, cap.* 6. *vers. Limita quòd Catechumenus ex cap.* 2. *de Presbyt. non baptiz.* necnon sacrificiorum. Pasqualig. *de sacrif. noua legis part.* 1. *quaest.* 151. vbi citat 19. DD. vt *d. Conclus.* 1. *num.* 14. *&* 15. dictum est.

7 Nec obstat, quòd reuertendo ad suos, & consequenter abnegando fidem, non puniatur tanquam Apostata; id enim sequitur, quia Ecclesia eum non agnoscit, vt subditum, saltem quoad pœnas, nisi post Baptismum fluminis, hoc est post Sacramentum Baptismi in re susceptum. Hurtad. & Lorca infra citandi.

8 Cœterum quòd sit verè Apostata in foro conscientiæ, & coram Deo, affirmant Hurtado *disp.* 89. *de fide* §. 3. Lorca *disp.* 50. *num.* 11. Suarez *disp.* 16. *sect.* 5. *in fine*. De Lugo *de virtute fidei diuina disp.* 18. *sect.* 4. *num.* 97. vbi dicit posse propriè appellari Apostatam à fide Christiana, seu à statu fidelitatis, licèt non appelletur Apostata strictè, & Ecclesiasticus, cum non recedat ab Ecclesia, in quam nondum visibiliter fuit acceptatus. Conueniunt tamen omnes grauissimè peccare: at sicuti peccat ipse Catechumenus fidem abnegando, ita qui eum inducit, vel occasionem præbet, vel cooperatur.

9 TERTIO probatur, non esse id permittendum Hebræis, cum sit directè contra Euangelium. Habemus enim Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis minimis, qui in me credunt, expedit ei, &c.*

Pusillum minimum, quis neget esse Catechumenum, qui iam per Baptismum flaminis regeneratus, credit in Deum, & fidem interiùs profitetur?

10 Dicitur autem pusillus minimus, quia quasi modò genitus infantulus rationabilis sine dolo lac fidei concupiscit. Pusillus minimus, ideoque imbecillis, quia nondum sacro Chrismate delibutus, nec Sacramento Confirmationis roboratus ad luctam, nec cœlesti alimento corporis, & sanguinis Domini refectus, hæsitans, & quasi manu tentans, per viam Christianæ perfectionis haud firmo incedit vestigio. Scandalizare autem illum, est eidem occasionem præbere fidei abnegandæ: quod certè contingit, si exponatur vehementissimæ tentationi, qualis est, quam Parentes sua præsentia, & illecebris ingerunt. Quæ qualis, & quanta sit, vnusquisque nouit, qui amorem, & obseruantiam filiorum in Parentes non ignorat: & qui hanc violentiam amoris non sentit, filij viscera non habere conuincitur.

11 Objiciunt aliqui in fauorem Hebræorum, fuisse *præcit. cap. sicut Iudæi* per contrariam consuetudinem derogatum, sicuti in multis aliis derogatum fuisse sacris Canonibus compertum est.

Respondeo, me non posse inficiari, sacris Canonibus fuisse in multis per desuetudinem derogatum. Sed procedo cum distinctione, & dico; plura, & diuersa in sacris Canonibus reperiuntur: alia mala, quia prohibita, alia prohibita, quia mala. Hoc notato, firmatur hæc regula infallibilis: Contra ea, quæ sunt mala, quia prohibita, potest quidem per contrariam consuetudinem præscribi; non autem contra ea, quæ sunt prohibita, quia mala: alioquin per

con-

consuetudinem, siue potius per abusum fieret licitum, quod ex sua natura, & intrinseca causa est illicitum, quod afferere est absurdum; sed exponere Catechumenum periculo abnegandæ fidei non est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum. Ergo, &c.

12 Ex quibus patet, quòd prætensa consuetudo est irrationabilis, & ideo non præualet contra legem; *cap. fin. de consuetud.* & notant D. D. Archid. *in cap. postulasti num. 2. de foro compet.* Nat. *in cap. Cum dilecto num. 27. de officio Archidiaconi.* Boich. *in cap. Abbat. num. 16. de verbor. significat.* Penna *in repet. l. vnic. num. 9. cap. de collat. donat.* & proinde tanquam corruptela est extirpanda. *cap. cum inter vos, & cap. cum venerabilis de consuetudine.*

13 Subijciunt ijdem in fauorem Hebræorum, quòd si eorum filij baptizarentur sine hac satisfactione ipsos ante Baptismum alloquendi, scandalizarentur.

Respondeo, fore scandalum pharisaicum, & ideo nullo modo attendendum, vt docent communiter Doctores.

14 Nec obstat prætensum priuilegium, quòd Hebræi dicunt se habere, filios ante Baptismum alloquendi, quia huiusmodi priuilegium non supponitur; immo incredibile est adesse, cum nullus sit, qui possit illud concedere; sicuti enim nemo potest concedere, vt quis sine peccato fornicetur, quia fornicatio est prohibita iure diuino: sic non potest concedere, vt quis periculo fidei abnegandæ exponatur, cum & hoc prohibitum sit iure diuino propter præceptum fidei profitendæ.

15 Immo si huiusmodi priuilegium fuisset de facto con-

cessum, non subsisteret, vt in simili docet Ricciull. *de Iure Pers. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 2. dicens, quòd vbi priuilegium etiam ab Apostolica Sede concessum potest in aliquo præiudicare diuinæ inspirationi, est strictissimè intelligendum: & si non potest operari sine derogatione, aut præiudicio iuris diuini, seu libertatis spiritus, est interpretandum ita vt nihil operetur, vt est *Text. singular. in cap. Licèt de Regul.* & ibi hoc notat Abb. *in prim. notab.* Ancharan. *num.*3. sed in nostro casu huiusmodi priuilegium, si adesset, derogaret ex prædictis iuri diuino, & præiudicium inferret diuinæ inspirationi, & libertati spiritus; ergo non posset subsistere, & interpretandum esset ita vt nihil operaretur.

16 Nec valet replicatio. Quamuis nunquam liceat fornicari, licitum tamen est aliquando exponere se periculo fornicationis; Ita quamuis nunquam licitum sit fidem abnegare, licebit tamen se exponere periculo talis abnegationis.

Etenim hoc ad summum erit verum, si duæ conditiones concurrant, videlicet, grauis necessitas, & moralis certitudo non cedendi tentationi; Vtraque autem conditio deficit in casu nostro: non adest grauis necessitas, immo ne leuissima quidem exponendi Catechumenum tali periculo, cum satis sit voluntatem ipsius constare Iudici Ecclesiastico, nec requiritur, quòd nota sit Hebræis, vt *ex cap. sicut Iudæi* supra dictum est; non adest moralis certitudo tentationem vincendi, cum experientia compertum sit, multos ex hac occasione à proposito fidei suscipiendæ defecisse.

17 Ex

17 Ex quibus necessariò concluditur, esse peccatum mortale concedere Hebræis, vt Catechumenum alloquantur, eiusque examini intersint propter periculum peruersionis: cui Doctrinæ quamplures doctissimi, ac pijssimi viri subscripserunt, quorum aliqui mecum testes oculati fuerunt prædicti peruersionis periculi; idque etiam prohibetur supra *in Meth. pluribus in locis, præsertim* §. 10. 13. 22. 23. 29. *&* 30.





CON-



# CONCLVSIO V.

*Turcæ, aliįque vtriusque sexus Infideles seruientes Hebræis, cum primùm voluntatem suscipiendi Baptismi patefaciunt, liberi nullo persoluto pretio efficiuntur.*

1 Atis superque exploratum est, quòd Iudæi seruos Christianos habere non possunt, vt de Iure Canonico expressè cauetur *in cap. 1. & in cap. 2. de Iudæis, & Saracen. in cap. si quilibet, & in cap. mancipia dist. 54.* vbi Summus Pontifex Gregorius rescribit Siciliæ Præfecto, vt quæcunque mancipia Christiana Iudæum comparasse paruerit, ad libertatem iuxta legum præcepta sine omni ambiguitate perducat, idest, vt explicat Gloss. in verbo *Perducite*, perducta ostendat, cum statim libera fiant. De Iure autem Ciuili idem dispositum reperitur *in l. vnic. C. ne quis Christianum mancipium, & in l. Deo nobis §. his ita dispositis. C. de Episcopis, & Clericis*, & ante Iustinianum etiam emanauerant aliæ leges Principum Christianorum Iudæis prohibentes emere seruos Christianos, vt colligitur *ex l. 2. l. 4. & l. 5. Cod. Theodos. lib. 16. tit. 9. ne Chri-*

*Christianum mancipium Iudaeus habeat*, vbi latè Gottiphred. *in Commentar.* Quibus iuribus innixi communiter scribentes docent, quòd nec Iudæo æstimatio sit soluenda. Foller. *in constit. Regni tit. de Iudæis num.* 8. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 18. *num.* 9. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 9. *num.* 285. *cum seqq. & num.* 292. Mozz. *de Contractibus tit. quomodo contractus deficiat num.* 24. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 30. Ricciull. *de iure Personar. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 1. Gambacurt. *de immunit. Ecclesiarum lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. Molin. *de Iust. & Iure tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 39. Barbos. *in Collect. DD. ad Text. in d. cap.* 1. *de Iudæis num.* 3., *& in d. l. vnic. C. ne quis Christianum mancipium num.* 2. Thomas del Bene *de Parlam. cap.* 2. *dub.* 4. *sect.* 32. *num.* 2. Castropal. *in Summa Operis Moralis tom.* 7. *tract.* 31. *disp. vnic. de Iust. in genere pun.* 11. *num. vnic. vers. Septimo si Dominus*, & alij communiter.

2 Ratio autem, cur sacri Canones, & leges etiam ciuiles noluerint Iudæos habere Christiana mancipia, multiplex affertur, videlicet, ne filij liberæ filijs famulentur ancillæ, sed Iudæi tanquam serui à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant seruos illorum, quos Christi mors liberos, & illos seruos effecit. vt innuit Textus *in cap. Etsi Iudæos tit. de Iudæis, & Saracen.* ne Christiana Religio Iudæis subdita polluatur, cum nefas sit blasphemum detinere redemptum à Christo, vt habetur *in cap.* 1. *eod. tit.*, & religiosissimos famulos impijssimorum emptorum inquinari dominio, vt sunt verba Impera-

ratoris Theodosij Iunioris in eius constitutione relata *in l. 5. Cod. Theodos. lib. 16. tit. 9. ne Iudæus Christianum mancipium habeat*; ac tandem ne Iudęi ob assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam attrahant simplicium animos, vt ponderat Text. *in cap. ad hæc eod. tit.* Dicuntur enim benefactoribus suis eam retributionem allaturi, quam retribuere solet mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu, vt hæc omnia latiùs explicant Ricciull. *de Iure person. lib. 2. cap.* 28. *num.* 2. Barbos. *in collect. Decretal. ad text. in cap.* 1. *de Iudæis, & Saracen. num.* 1. Gambacurt. *de immunit. Ecclesiarum lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 4.

3 Quæ omnia procedunt non solùm in seruo Christiano, verùm etiam in quolibet alterius sectæ, qui baptizari, & Christianus fieri desiderat postquam voluntatem suam patefecit, vt elicitur ex Text. *in cap. fin. de Iudæis*, ibi, *baptizari volentem*, *& in cap. fraternitatem cum tribus sequentibus, distinct.* 54. & signanter ponderant *Tiraquell. de Iure marit. glos.* 2. *num.* 9. Ricciull. *lib.* 2. *d. cap.* 28. *num.* 4. Gambacurt. *lib.* 4. *d. cap.* 14. *num.* 3. Barbos. *in Collect. ad text. in d. cap. fin. num.* 2. Satis autem declarata voluntas dicitur per confugium ad Ecclesiam, quo casu confugiens libertatem a Iudaica seruitute statim acquirit, nullo pretio persoluto, vt expresse habetur *in cap. si quilibet distinct.* 54. vbi dicitur, quòd seruus absque vllo Christianorum pauperum damno, idest nullo persoluto per pauperes Christianos pretio, in libertatem modis omnibus defendatur ab Ecclesia, ad quam confugerit, vt in specie ponderant Abbas *in cap.* 1. *de Iudæis num.* 2. *vers. Primo casu,*

*su*. Lessius *de Iust. & Iure lib. 2. cap. 5. de modo acquirend. domin. dub. 5. num. 20. vers. Adde*. Ricciull. *lib. 2. d. cap. 28. num. 1.* Gambacurt. *lib. 4. d. cap. 14. num 3. in fine, & num.* 18. & expresse innuit Text. *in d. cap. si quilibet, distinct.* 54. vbi etiam notatur, quòd esto Dominus postea fidem ipse quoque suscipiat, non propterea seruus ille suam amittit libertatem, & habetur *in l. Deo nobis §. his ita. C. de Episcop. & Cleric.* & docent Barbos. *in Collect. DD. ad text. in d. cap. 1. de Iudaeis, num. 3. & in d. l. vnic. C. ne quis Christianum mancipium, num. 2.* Thom. del Bene *de Parlam. cap. 2. dub. 4. sect. 32. num. 2.* Castropal. *par. 7. tract. 31. disp. vnic. pun. 11. vers. Septimo si Dominus*. Molin. de *Iust. & Iure tom. 1. tract. 2. disp.* 39. & alij; ratio esse potest, quia seruus fidem recipiens, vel recipiendi voluntatem ostendens, libertatem absolutè, non sub conditione fuerat assecutus.

Inficiari tamen non possumus, supra allatam doctrinam admittere notabilem limitationem, nimirum Iudęos, etsi non possunt habere seruos Christianos, neque alterius sectæ Infideles, Christianos fieri volentes, posse tamen huiusmodi seruos alterius sectę retinere apud se non seruitutis causa, sed mercimonij, qui si Christiani fieri velint, liberi efficiuntur, Iudęo redemptionis suæ pretio per quemcunque Christianum persoluto, vt statuit Gregor. Papa *in cap. fraternitatem distinct.* 54. & habetur *in cap. 1. & in cap. Nulli fin. de Iudęis, & Saracen.* vbi huiusmodi pretium limitatur ad duodecim solidos, hoc est ad duodecim aureos, vt interpretatur Ioan. Andreas *in d. Decretal. Gregorij*; sed aduertit Abbas 4

L *in*

*in* 5. *lib. Decretal. cap.* 1. *de Iudęis*, Mancipium, quod redimitur duodecim ſolidis, debere eſſe optimum, alioquin tantum pro eo non eſſe ſoluendum, cum pretium duodecim ſolidorum ſit ſupremum. Vnde ſatis apertè colligitur, dictam ſummam ſolidorum duodecim, ſeu aureorum intelligendam eſſe de pretio iuſto, & rationabili ſecundum temporum varietatem, vt bene explicat Ricciull. *lib.* 2. *d. cap.* 28. *num.* 9. quod pretium ſolui debet Iudęo, vel à Chriſtianis, vel ab ipſomet mancipio, ſaltem obſequendo ſuo Domino tanto tempore, quantum prudentis arbitrio iudicatum fuerit ſufficere ad dictum valorem compenſandum, vt *ex text. in d. cap. Nulli*, probant Molin. & Caſtropal. *loc. cit.* & alii addentes ſatis eſſe, ſi permittatur eidem mancipio eleemoſynas colligere etiam oſtiatim mendicando, vel Chriſtianis inſeruire, vt lucrum comparet pro ſua redemptione. Quòd ſi Chriſtianus aliquis pro eo pretium perſoluat, tenebitur quidem ipſimet Chriſtiano obſequium præſtare, at non in perpetuum, ſed ſolùm quouſque pecuniam pro ſe erogatam compenſet, & quòd ſatis ſit obſequium quinque annorum exiſtimat Paulus Comitolus *in reſponſis moral. lib.* 3. *quæſt.* 43. *verſ. Sexta propoſitio*; verùm hoc limitari non poteſt, ſed prudentis relinquendum arbitrio, cum pro diuerſitate temporis, & pro qualitate mancipij, pluris vel minoris redimi poſſit, vt dictum eſt.

5 Sed magna hìc oritur difficultas, vnde nam dignoſcendum ſit, vtrùm Iudęus huiuſmodi ſeruos infideles apud ſe detineat mercimonii, an ſeruitutis cauſa.

Huic

Huic difficultati respondetur, quòd credendi sunt esse apud ipsum causa seruitutis, nisi contrarium à Iudæo probetur. Probationes autem necessariò faciendæ sunt sequentes. *Prima*, quòd ostendat se eos emisse de externis finibus, *ex cap. fraternitatem distinct.* 54. *Secunda*, quòd plures serui fuerint empti, vt præsumatur causa mercimonii, ac negotiationis *d. cap. fraternitatem, & cap. Nulli fin. de Iudęis, & Saracen.* quæ tamen præsumptio non est vehemens, nec Iuris, aut de Iure, cum verba significantia numerum pluralem seruorum ponantur in Textu non per modum conditionis, sed narrationis, ideoque purgatur contrario facto Iudęi seruum intrà tres menses venalem exponentis, vt bene declarat Gambacurt. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 9. quæ est tertia probatio, nempe quòd dictos seruos intrà tres menses venales exposuerit. Quæ probationes si desint, pręsertim si intrà dictum terminum trium mensium venales non exposuerit, censentur empti ad seruiendum, non ad negotiandum, & cum primùm voluntatem recipiendæ fidei patefecerint, liberi nullo persoluto pretio efficiuntur, *ex d. cap. fraternitatem* §. *his verò distinct.* 54. *ex cap.* 1. *& ex cap. fin. de Iudæis*, & docent communiter DD. Ricciull. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 5. Comitol. *lib.* 3. *quæst.* 43. *vers. quarta propositio*. Barbos. *in d. cap.* 1. *de Iudæis num.* 2. *& in cap. fin. num.* 3. & alii supracitati. Ratio autem est, quia elapsis tribus mensibus insurgit præsumptio Iuris, ac de Iure contra Iudæum, quòd illos emerit non mercimonii gratia, sed seruitutis, contra quam præsumptionem nulla in contrarium probatio admittitur, vt firmat Text. *in d. cap. fra-*

*ternitatem distinct.* 54. *in fin.* Glofs. *in d. cap. final. vers. nota quòd si iudaus*, & docent Ricciull. *loc. cit.* & Hoftienf. *in d. cap. final. de Iudais, vers. si autem infra tres menses*, quem omnes fequuntur.

6 Maior difficultas eft, à qua die computandum fit prædictum trimeftre conceffum Iudæo ad exponendum feruum venalem, num à die, qua seruus mercimonii caufa emptus eft, an verò à die, qua velle fe Chriftianum fieri declarauerit.

Sed quamuis nonnulli cum Ioanne Andrea *in d. cap. fin.* hoc vltimum afferere non dubitauerint, quorum sententiæ adherere videtur Caftropal. *part.* 7. *tract.* 31. *disp. vnic. pun.* 11. *vers. septimo si Dominus*. Molin. *de Iust. & Iure tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 39. Naldus *quast. practic. V. Iudaus num.* 5.

Verior tamen, & magis amplectenda, vtpote communiter recepta eft contraria sententia, quam docet Hoftienf. *loc. cit.* vbi trimeftre numerat à die emptionis, alioquin daretur locus fraudibus, & fruftraretur legis difpofitio. Nullus enim vnquam feruus volens Chriftianus fieri libertatem abfque folutione pretii confequeretur; nam Iudæus poftquam feruum fuis obfequiis etiam per multos annos mancipatum tenuiffet, fi is tandem fidem Chriftianam amplecti vellet, poffet dicere, fe eum emiffe mercimonii caufa, ideoque fibi affignandum terminum trium menfium ad eum venalem exponendum, & fic femper pretium reciperet eludendo Iuris regulam difponentem, quòd feruus ad feruiendum emptus à Iudæo, fi Chriftianus fieri velit, nullo perfoluto pretio in libertatem vindicetur.

7 Quod vlteriùs cumprobatur, quia terminus ifte

trium

trium mensium non præfigitur ad explorandam voluntatem serui, qua vult Cristianus effici, nam de hoc nulla fit mentio, & seruus ad seruiendum emptus, vbi voluntatem hanc declarat, statim Iudęo eripitur, sed assignatur tantùm ad dignoscendum, an Iudæus emerit seruum negotiationis causa, ex qua regulariter qui emit seruum, statim, vel saltem infra breue aliquod tempus, quod à Iure in seruorum negotiatione ad tres menses limitatur, adinstar mercium illum venalem exponit, vt tenent Abbas *in* 5. *lib. Decretal. cap. fin. de Iudæis, lit. A, in fine*, vbi, licèt contrariam sententiam Ioannis Andreæ æquam existimet, adhæret tamen sententiæ Hostiensis, quam veriorem appellant Barbos. *in Collectan. ad text. in d. cap. fin. num.* 3. Gambacurt. *de immunitate Ecclesiarum lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 10. vbi contrariis egregiè respondet, & Comitol. *lib.* 3. *quæst.* 48. *vers. quarta propositio in fine*, eamdem sententiã dicit esse communem; immo asserit non sufficere, quòd Iudæus intrà dictum trimestre seruum venalem exposuerit, sed oportere eum vendidisse, & addit, *quòd, si post tertium mensem inemptus est, fit liber; nam Decretal. Greg. IX. Nulli de Iudæis, interpretatur, si toto illo spatio non est venditum mancipium, in suo obsequio illud retinere Iudæum voluisse, quod eì à lege non conceditur, & est hæc præsumptio Iuris, & de Iure, quæ probationem in contrarium non admittit, inquit Hostiensis in illam Decretal. Greg. IX.* Hæc Comitolus: ratio autem esse potest, quia verba legis intelligenda sunt cum effectu, vt notant communiter Canonistę, & nouissimè Fagnan. *in cap. relatum num.* 2. *de Cleric.*

*Cleric. non resid. in cap. cum venisset, num. 84. de Sacr. Vnct. & in cap. siquis, num. 33. de foro competenti.* Præterea Iudæus dum seruum venalem exposuit, & non vendidit, præsumi potest, eum ad sibi seruiendum emisse, & ad eludendam legem exposuisse quidem, sed ne venditio sequeretur, pretium rigorosum, seu potius iniustum exegisse, & ideo non inuenisse emptorem. At, si hęc doctrina esset vera, nunquam ferè daretur casus, in quo Iudæus à suo mancipio Christianum fieri volente pretium reciperet, quod non est dicendum.

8 Crederem tamen, doctrinam Comitoli tunc procedere, quando Iudæus etiamsi absque fictione seruum venalem intrà illud trimestre exposuisset, sed postea exponere destitisset: quod probatur ex communi mercatorum vsu, qui res mercimonij causa emptas tandiu venales exponunt, donec venditio sequatur; nec desistunt exponere, donec desperata venditione res ipsas domestico vsui, proprioque seruitio destinarint. Vnde sic argui potest; Si Iudæus in illo trimestri tantummodo seruum venalem exposuit, & non perseuerauit deinde exponere, signum est euidentissimum, quòd vel fictè exposuit, vel mutato proposito, quem ad mercimonium emerat proprio seruitio destinauit, ideoque etiam huic casui applicabilis est Iuris regula, quòd si seruus velit Christianus fieri, nullo persoluto pretio, liber efficitur, cum non amplius mercimonij, sed seruitutis causa à Iudæo detineatur.

9 Ex quibus concluditur, tunc solùm redemptionis pretium à Christianis, siue ab ipsomet seruo modo supradicto persoluendum esse Iudæo, quando nimirum

rum mercimonij causa emptus est, & intrà trimestre à die emptionis numerandum voluntatem suam patefacit, velle se Christianum fieri, & venalis à Iudæo expositus emptorem non inuenit; vel si patefaciat voluntatem suam post dictum trimestre, intrà illud tamen venalis exponi cæpit, & adhuc perseueranter exponitur.

Denique ad pleniorem huius materiæ doctrinam 10
quæri potest, an Princeps, siue Secularis, siue Ecclesiasticus possit habilitare Iudæos ad habendos seruos Christianos, vel etiam infideles Christianos fieri volentes.

Et negatiuè respondendum est; nam quòd Christiani, seu Christiani fieri volentes nequeant esse serui, nec in familiari seruitio Iudæorum procedit ex ratione morali respiciente decorem Christianæ religionis, cui decori minimè potest Princeps secularis derogare, *argumento text. in cap. si diligenti, de foro compet.* & consequenter per eum non possunt Iudæi habilitari ad retinenda Christiana mancipia, vel Christiana fieri volentia, vt pluribus relatis tradunt Ricciull. *d. cap.* 28. *num.* 12. *& seqq.* & Barbos. *in Collectan. ad text. in cap.* 1. *de Iudæis, num.* 4. addentes, id neque licere Episcopo, qui cum dispensare non valeat contra ius, nisi id ei expressè, vel tacitè permittatur, vt per Cardinal. *in cap. ad hæc de Iudæis*, vbi Abbas *num.* 3. Soccin. *num.* 5. *vers. extra gloss.* Felin. *sub num.* 3. *vers. vtrùm autem Episcopus*; multominus in casu nostro, quando dispositio legis tendit in fauorem fidei, & dispensatio vergeret in priuatum commodum Infidelis contra decorem Christianæ Religionis. Spectat igitur ad Episcopum compellere Iudæos reluctantes dimitte-

re

re ſeruos, qui Chriſtiani ſint, vel Chriſtiani fieri velint, à qua compulſione non dari appellationem, ſiue ab Infidelibus ipſis, siue à quouis eorum nomine interponatur, ponderat Ricciull. *loc. cit. num 6.* & cum eo communiter Canoniſtæ.

*Ita in facti contingentia pluries ſeruatũ fuit Florentiæ,* Conſulente Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo D. D. Philippo Soldanio Feſularum Epiſcopo, & Comite Turichij, Viro probitate, prudentia, doctrina, munificentia, & morum ſuauitate verè eximio, qui Neſtoream ætatem omnium votis victurus, immatura morte correptus, Florentinæ ac Feſulanæ Diœceſibus maximum ſui deſiderium reliquit. *Ita habetur in ſuis doctiſſimis manuſcriptis, ex quibus tota hæc ferè Concluſio deſumpta eſt.*



CON-



# CONCLVSIO VI.

*In Baptismo Adultorum, si vnus tantummodo Patrinus adhibeatur, debet esse Masculus, si Masculus; Fœmina, si fœmina baptizetur.*

## Vbi

*Plura de Infantium Infidelium Baptismo adduntur.*



Ertum est, in Baptismo duos Patrinos ad summum adhiberi posse, Marem scilicet, & Fœminam, vel, vt alij dicunt, vnum, & vnam (siue mas, siue fœmina baptizetur) non autem duos viros, nec duas Mulieres; ita disponente Sacro Concilio Trid. *sess.24.cap.2.* 1

Si verò vnus tantummodo Patrinus adhibeatur, ad formam Iuris antiqui *cap. non plures, de Consecrat. distinct.* 4. docet Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 4. debere esse marem, si puer; fœminam, si puella baptizanda sit; & ita cauetur in Concilio Niceno *can.* 22. vbi dicitur; *Viri non teneant in Baptismo fœminas, neque mulieres teneant mares.* Quam doctrinam licèt communiter non admittant Doctores in Baptismo Infantium, saltem ex contraria consuetudine; omnino tamen seruanda est in Baptismo Adultorum, vt bene obseruant, Suarez 2

*in 3. part. D Thomæ tom. 3.* aliàs 1. *de Sacrament. quæst. 67. art. 7. prope finem.* Filliuc. *tom. 1. tract. 2. de Baptismo, cap. 7. num.* 160. Georgius Gobat *in Alphabeto Baptizantium, casu 17. num.* 531. & alij. Ratio esse potest, quia cum in tali Baptismo Adultorum Patrinus signum Crucis propria manu pluries faciat in fronte baptizandi, dedecet quòd hoc præstet Vir cum fœmina, & Fœmina cum viro; ideoque statuitur in dicto Concilio Niceno, vt Vir cum viro; & Fœmina cum fœmina huiusmodi munus Patrini præstent: quod saltem in Baptismo Adultorum seruari debet, vt dictum est.

3 Quid si in actu Baptismi compareat Patrinus non idoneus, nempe Vir in Baptismo fœminæ; Fœmina in Baptismo viri, præsertim si Persona insignis Patrini munus suscipiat, eamque minimè deceat reijcere?

Respondeo in hoc casu prudens Minister deputet secretò vnum ex suis Sacerdotibus, vel alium virum, si masculus; honestam verò matronam, si fœmina baptizanda sit, qui suppleant ea, quæ Patrinus præstare nequit, nimirum Crucis signa in fronte baptizandi, & hanc deputationem adnotet in libro baptizatorum, ne vnquam videatur Patrinum non idonem admisisse.

4 Hic obiter adnotandũ censeo, quòd quamuis pluries dictum sit, filios infidelium rationis vsu carentes non posse baptizari inuitis Parentibus, excipiendi tamen sunt infantes existentes in articulo, vel probabili periculo mortis, vt probant communiter DD. apud Castropal. *part. 4. tract. 19. disp. vnic. pun. 6. de subiecto Baptismi, num.* 14. quia ob æternam salu-

ſalutem pueri temnenda eſt leuis illa læſio iuris paterni; ideoque monendæ ſunt obſtetrices, & nutrices, vt ſiquando aduerterint huiuſmodi paruulos de vita periclitari, ipſos secretò, quantùm fieri poteſt, & abſque mora baptizent. Si verò poſt Baptiſmum conualuerint, rem deferant ad Epiſcopum, qui ex ſuo Paſtorali officio eos à Parentibus infidelibus abſtrahendos curabit propter euidens peruerſionis periculum, ſi apud ipſos educarentur.

Quod dicitur de infantibus in articulo, ſeu proba- 5
bili periculo mortis conſtitutis, dicendum eſſe etiam de perpetuò amentibus, docent Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 6. verſ. quintò ſi filij*. Caſtropal. *loc. cit. num.* 15. & Gaſpar Hurtad. *diſp. 3. de Baptiſmo, diffic.* 2. quem refert, & ſequitur Tamburin. *de iure diuin. lib. 2. de Baptiſmo, cap. 3. de ſubiecto Baptiſmi in princip.* baptizandi enim ſunt, inquit Caſtropal. ob extremam neceſſitatem, aliàs remedio ſalutis eſſent omnino deſtituti: neque obſtat, Parentes ius habere gubernandi filium amentem, quominùs eum poſſis baptizare Parentibus inuitis; quia bonum, quod ex collato Baptiſmo filio prouenit, præferendum eſt leui læſioni iuris paterni cedentis in æternum filij interitum. Hæc Caſtropal. ex Laym. *loc. ſupra cit.* quibus addo, quòd, cum perpetuò amentes nunquam ratione vſi ſint, habentur tanquam infantes, & cum nunquam ratione ſint vſuri, habendi ſunt tanquam conſtituti in articulo mortis; ideoque cuiuſcunque ætatis ſint, & quandocunque præbeatur occaſio, baptizari poſſunt, immo debent ex generali doctrina Vaſquez. *diſp. 155. de Baptiſm. cap.* 7. niſi, vt addunt alij cum Caſtropal. *loc. cit.*

*n.* 20. grauissima causa excuset; ratio autem est, quia ijs nullum aliud suppetit remedium salutis.

6 Credo tamen, eos post Baptismum non esse necessariò abstrahendos ab Infidelibus, præsertim si Baptismus secretò collatus sit, & alioqui grauis perturbatio timeretur: quia cum, nunquam ratione vsuri sint, nullum subest peruersionis periculum, propter quod abstrahendos esse infantulos supra *n.*4. dictũ est.

Hanc meam opinionem paucis ab hinc mensibus ad praxim deduxi, baptizando, inscijs Parentibus, puellam Hebræam annorum quindecim, quæ nunquam compos rationis fuerat, nec spes erat futuram; communicato priùs consilio cum pluribus doctissimis Viris, tum Physicis, vt ab eis intelligerem, an amentem à natiuitate diuturnitas temporis mentis compotem efficere valeat, tum Theologis, præsertim cum præstantissimo Viro Adm. R. P. D. Iacobo Antonio Morigia primo Theologo Serenifs. Magni Etruriæ Ducis COSMI III. feliciter regnantis, quem Christianorum Principum decus, Pietatis exemplar, Religionis columen, Deus Optimus Maximus publicis commodis diu seruet incolumem; qui omnes vnanimiter in meam sententiam venerunt.

difficilis videtur hec resolutio nam baptizandi debent habere fidem ac infantes baptizantur in fide parentum sed hic supponitur parentes carere imo nunquam habuisse fidei [illegible] ergo carentes tali dono non possunt baptizari

7 Præter dictos baptizari potest, inuitis Parentibus, filius expositus, siue alio modo à Parentibus segregatus, quando nulla spes subest in eorum consortium rediturum; tunc enim nulla eis irrogatur iniuria, cum ius, quod habent gubernandi filium, exercere non possint; præsertim si sponte à se abdicauerint. Et cessat ratio cur filio in Parentum potestate constituto denegatur Baptismus, nimirum, quia Baptismo posito, subtrahendus est à Parentum consor-

tio,

tio, ne Baptismum irrideant, & ne filius prauo Parentum exemplo, & consilio in Apostasiam incidat; & in hoc casu non esse consulendum Patrem, etiamsi id fieri posset, quia necessarius non est eius consensus, latè probant Suar. *disp.* 25. *sect.* 4. *vers. Secundò est certum*. Conink *quæst.* 68. *art.* 10. *dub. vnic. num.* 77 Vasq. *disp.* 155. *cap.* 3. *num.* 29. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 5. *num.* 10. *vers. secundò si infans.* Castropal. *part.* 4. *tract.* 19. *punct.* 6. *de subiecto Baptismi, num.* 17.

Idem dicendum, si alter Parens filium baptizari velit altero reluctante; præferenda enim est voluntas justa iniustæ, in fauorem Fidei, & prolis, vt colligitur ex Conc. Tolet. *cap* 62. *relato in cap. Iudæi* 28. *& ex cap. ex literis, de conuers. Infid.* & docent communiter DD. idque posse fieri petente Auo paterno, etiam vtroque Parente reluctante, vide infra *conclus.* 8. *per tot.* & quamuis ibi loquamur de Auo baptizato, intelligendum tamen est etiam de Auo Infideli; nam pro ipso quoque militant ibi allatæ rationes. 8

Et notandum, quòd quando alteruter Parens conuertitur, altero in infidelitate permanente, communes filij, si sint adulti, sequi possunt quem maluerint, postquam in loco tuto depositi suam voluntatem aperuerint, vt præscribitur *in Meth.* §. 10. Si verò doli capaces non sint, sequi debent Parentem fidelem, vt decernitur in Concil. Tolet. IV. *can.* 62. & refertur *in cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. Vnde audiendus non est Lancellot. *Instit. iuris canon. lib.* 2. *tit. de diuortijs.* §. *Item si alter*, vbi dicit, puerum mino- 9

rem

rem triennio semper apud Matrem fore educandum.

10 Possunt etiam baptizari, inuitis Parentibus, filij mancipiorum, siue seruorum Infidelium existentium in seruitute Christianorum, vt docet Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 15. sect. 4.* quatenus dicit, filios Infidelium seruorum vendi posse, & sic separatos à Parentibus baptizari, etiamsi ad hunc finem alienentur, & probat. PRIMO, quia Dominus alicuius rei potest illam ad libitum vendere, & alienare. SECVNDO, quia sic alienati non sunt ampliùs sub cura Parentum, sed Dominorum.

11 At magis placet sententia Turriani *in 2. 2. tom. 1. disp. 34. dub. 2.* vbi ait, baptizari posse etiam sub cura Parentũ, si res secundùm se consideretur: fauent etiam rationes, quæ mox *num. seq.* afferuntur, dummodo aliquo modo peruersionis periculo prouideatur. Immo Leand. *part. 1. tract. 2. disp. 5. quæst. 11.* asserit cum alijs, Dominos non solùm posse, sed etiam ex præcepto charitatis teneri sub mortali eos baptizare, nisi iusta causa excusentur.

12 Idem prorsus dicendum est de filijs eorum Infidelium, qui iusto bello, vel alio titulo in Christianorum seruitutem redacti sunt; quia tunc sicuti alia eorum iura, & dominia, ita & ius Patriæ potestatis Domino ipsorum, à quo capti tenentur, gentium iure acquiritur; qui proinde paruulos ipsis auferre, alijs donare, vendere, & consequenter etiam Baptismo abluere iure potest; sicuti bene docent Durand. *in 4. dist. 4. quæst. 6.* Viuald. *de modo Baptismi num. 14.* Suarez *disp. 25. sect. 4.* Coninck *quæst. 68. art. 10. dub. vnic. num. 86.* quos refert, & sequitur Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 10. vers. Porro eadem assertio*, contra Caietanum, & Azorium. Quam

doctrinam paulò inferiùs generaliter extendit ad omnes liberos Turcarum, & Saracenorum, contra quos tanquam hostes Fidei Christianæ, & Regionum inuasores iustum bellum indictum est, ideoque eorum filios captiuos efficere, & inuitis Parentibus fas est baptizare.

Et obserua, quòd quamuis plerumque expediat, paruulos in similibus casibus à Parentibus abstractos baptizare, & baptizatos catholicè educare; quandoque tamen licebit eosdem Parentibus relinquere, aut post Baptismum restituere, vel alijs Infidelibus vendere, permittendo malum peruersionis eorum ob iustam causam, vel quia Dominis nimis difficile accidit paruulos captiuos alere, & educare; vel quia captiuorum redemptio iure gentium introducta interdum necessaria est ad pacem, ac fœdera seruanda, & ad maiora mala captiuorum etiam Christianorum cauenda, vt bene aduertit ex Suarez, Vasq. Henriq. & Conink Laym. *loco cit. in fine*. 13

Denique notandum est, quòd, quandocunque Infidelium filij baptizantur, quamuis cum Parentum iniuria, efficiuntur subditi Ecclesiæ, ac proinde necesse est eos ab Infidelium consortio segregare, ne Fides Domini blasphemetur, & peruersionis periculo exponantur. Ita docet Conink *quæst. 68. art. 10. dub. vnic. num.* 83. ex Conc. Tolet. IV. *canon.* 55. 58. *& seqq.* & ratione confirmat; nam sicuti iniustus dolus non vitiat matrimonium, quominùs ex eo obligatio oriatur, ita neque vitiat obligationem Baptismi; quandoquidem vtriusque Sacramenti indissolubilis natura est, & institutio, quæ nobis per traditionem innotuit. 14

Li-

15 Limitatur tamen hæc doctrina in casu *num.* 13. allato; & in filijs Infidelium, qui offeruntur à Parentibus baptizandi non ad gratiam Baptismi recipiendam, sed ad aliquod temporale commodum reportandum, puta, vt ab aliqua corporali infirmitate liberentur, ad quod lustrales Baptismi vndas prodesse existimant; & tunc quamuis teste Azorio *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæst.* 6. alij affirment, alij negent administrari posse Baptismum, cum Parentibus restituendi sint; affirmatiuæ tamen sententiæ adherendum censui; multùm enim prodesse potest Baptismus etiam tali fine susceptus: potest enim esse, vt prædicti paruuli ante septennium, quòd plurimis accidere solet, præmoriantur, vel etiam septennio completo, sed ante peccatum mortale commissum, & sic salutem æternam consequantur, quam sine Baptismo consequi nequeunt. Nonne etiam fieri potest, vt mediante Fide habituali, quam in Baptismo recipiunt, faciliùs illuminentur, & à falsa Religione resipiscant? vel saltem instante morte conterantur, & sic saluentur?

16 Limitatur quoque in filijs Hæreticorum, quos, si offerantur à Parentibus Ministro Catholico, vt baptizentur, baptizandos esse, etiamsi restituendi sint, docet cum alijs Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. id enim & ipsis prodesse potest; nam siquando audierint se à Ministro Catholico baptizatos, fortasse veritatem Fidei nostræ perquirent, & à sua falsa Religione discedent. Verùm quidem est filios illorum Hæreticorum, qui semel cognita veritate nostræ Fidei ad pristinos errores reuertuntur, esse ab illis abstrahendos, & inter Catholicos educandos do-

docet idem Laym. *loc. cit. num.* 11. *vers. His annexa*; & ratio est, quia dicti Hæretici subditi sunt Ecclesiæ.

17 Ipsos autem abstrahere debet Ecclesiastica potestas, vel etiam secularis Magistratus, cui ciuiliter subiecti sunt, de licentia tamen siue expressa, siue tacita Prælati Ecclesiastici, vt bene obseruat Laym. *loc. cit. vers. Dico secundò*.

18 Nunquam tamen in prædictis casibus cuiquam licet auctoritate priuata vim Parentibus Infidelibus inferre ad eorum filios baptizandos: Parentes enim denegando Baptismum filijs peccant solùm contra legem Diuinam supernaturalem, quorum delictum Deum tantummodo vindicem habet, cum Ecclesiæ subditi non sint: filijs autem nullam iniuriam irrogant, si ius naturæ spectemus, cuius causa defensioni locus esse possit. Nequit ergo Parentibus filiorum Baptismum impedientibus vis inferri, quia solùm inferri posset, vel in punitionem delicti commissi, vel ad iustam filiorum innocentium defensionem; sed horum neutrum dici potest, ergo. Ita bene ratiocinantur, Vasq. *disput.* 135. *cap.* 3. *num.* 26. & Coninck *quæst.* 68. *art.* 10. *dub. vnic. num.* 77.

19 Neque hìc silentio prætereundum, quòd contraria sententia, quæ docet, Infidelium filios posse inuitis Parentibus baptizari, sua probabilitate non caret; habet enim validas rationes intrinsecas, vt ex dicendis constabit, & extrinseca DD auctoritate fulcitur. Posse enim Infantes filios Infidelium, qui Ecclesiæ, seu Principibus Christianis in temporali iurisdictione politicè, & ciuiliter tantùm, nedum seruiliter, seu vt serui subditi sunt, licitè bap-

tizari inuitis Parentibus, non quidem à Persona priuata propria auctoritate, sed ab ipsis Principibus, Dominisque temporalibus ipsorum Parentum, vel ab ijs, quibus ipsi Principes potestatem dederint, affirmarunt ex Theologis Scotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 9. & ibi Tartaret. Gabriel. *quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. *post medium*. Maior *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. *in fin.* Nicolaus Orbel. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 7. Nicolaus de Hyse *in* 4. *tract.* 6. *part.* 3. *de Baptismo, quæst.* 10. Angelus *V. Baptismus* VI. *num.* 11. Villalob. *in Summa, part.* 1. *tract.* 5. *de Baptismo, difficult.* 15. *num.* 7. vbi inter alios citat Gaspar. de Vzeda, & dicit esse communem inter Scotistas. Ex Iurisperitis verò affirmant, Archidiacon. Geminian. Præposit. Cardinal. & Ioan. Andreas, *in Cap. qui sincera, dist.* 45. Idem Ioann. *in cap. sicut, V. patefacta, de Iudæis,* & *ibidem* Boich. Afflict. Montan. Ferrett. Ceuall. & alij, quos refert Bossius *de patria potest. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 328. inter quos Diuus Antonin. *par.* 3. *tit.* 14. *cap.* 13. sed *ibidem* duobus in locis contrarium dicit, nam loquitur de filijs Iudæorum, qui sunt verè serui, & mancipia Christianorum, vel de ijs, qui habent vsum rationis. Supradictis addi possunt Durand. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 6. *num.* 9. Capreolus *ibidem*. Ledesma *tom.* 1. *part,* 4. *quæst.* 9. *art.* 10. §. *secunda propositio*, vbi dicit, eos baptizare, ex obiecto malum non esse, & in hanc sententiam inclinare videtur Castropal. *part.* 4. *tract.* 19. *disput. vnic. pun.* 6. *de subiecto Baptismi, num.* 12. eam enim pluribus rationibus confirmat, licèt contrariam communem appellet, & probabilem dicit Leand. *part.* 1. *tract.* 2. *disput.* 5. *quæst.* 9. nam contrariam solùm probabiliorem affirmat. Eam-

Eamdem sententiam paucis ab hinc annis Typis 20
impressam publicè disputandam proposuit hìc Florentiæ Excellentissimus Vir, mihi in amicitijs coniunctissimus, D. Fridericus Giannetti, Insignis Collegiatæ S. Laurentij Canonicus, Philosophiæ, ac Theologiæ Professor eximius: eamque paulò antè docuerat Alma, Cæsarea, Regiaque Vniuersitas Carolo-Ferdinandea Pragensis, publicè enim disputando defendit, ac Typis mandauit, vt videre est in Libro, cui Titulus, *Centum quæstiones ex vniuersa Theologia Scholastica*, Pragæ impresso Anno 1671. vbi, *quæst. 92. de Baptismo*, §. 3. proponitur, & resoluitur difficultas, vt infra.

*Licet ne Infidelium filios baptizare inuitis Parentibus?*

LIcere suadent hæc fundamenta. PRIMO, quia paruuli habent iure Diuino aditum ad salutem; ergo non potest eam potestas patris impedire. SECVNDO, quia licèt Parentes habeant ius naturale educandi penes se liberos, reddunt se tamen indignos hoc iure, abutendo patria potestate, & prohibendo medium ad salutem vnicè necessarium. TERTIO, quia Parentibus non competit, vt soli salutem filiorum curent, & eos, qui emendare volunt quod ipsi deliquerunt, im-

pediant : neque enim ius paternum naturale concedere id poteſt , neque Diuinum conceſſiſſe conſtat , vt bene obſeruat Vaſquez *diſput.* 155. *cap.* 4. *num.* 50. QVARTO, paruulos paulò poſt morituros licet baptizare inuitis Parentibus. Atqui infallibili experientia certum eſt , & plusquàm morale, tertiam paruulorum partem, intrà ſeptennium ante vſum rationis morituram , vt bene obſeruauit Laym. & alij ; ergo. QVINTO, quia ſalus animæ , & ſtatus ſupernaturalis gratiæ tanti res eſt momenti , vt filius non tantùm poſſit , ſed etiam debeat non curare inuitos Parentes ; ergo nihil fit contra ius Parentum, ſi illis inuitis ſaluti paruulorum conſulatur.

Non licere ſuadent ſequentia. PRIMO, vſus totius Eccleſiæ, quæ inuitis Parentibus nihil facit, neque approbat , ſi factum fuit. SECVNDO , iniuria Parentum , à quibus propter manifeſtum Apoſtaſiæ periculum, abducendi ſunt liberi , quemadmodum ſancitur *in Toletano IV.* & refertur *cap. Iudæorum filios* 28. *quæſt.* 1. Et licèt abutantur patria poteſtate prohibendo Baptiſmum filio ; hoc tamen peccatum puniri à Principe non debet. Quemadmodum enim is Infideles nequit

quit cogere, vt Baptismum suscipiant, *cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis*; ita nec potest eos cogere, vt filio Baptismum permittant, aut si permittere noluerint, punire. Et quid, si non peccent mortaliter Gentiles, si extra mortis periculum, vsque ad vsum rationis Baptismum liberis prohibeāt? Vix probari potest (inquit Suarius *disp.* 25. *sect.* 2.) Catholicos, secluso omni præcepto, & consuetudine Ecclesiæ, obligari ad filios ante vsum rationis baptizandos. Accedit D. Thomæ authoritas *quæst.* 68. *art.* 10. & 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 22. & est communis hodie sententia, à qua discedere non est consultum.

*Deciditur Quæstio.*

SI authoritatem secludis, plus tribuo rationibus prioris sententiæ; congruæ enim sunt, & in iure naturali fundatæ. Quòd si Ecclesia non laudat talem Baptismum, non damnat tamen etiam. Quæ ex Pontificibus, & Iure Canonico opponuntur, non conueniunt; ex his enim aliud non conuincitur, quàm *baptizandos non esse inuitos*. Atqui paruuli non sunt inuiti, sed potius præsumuntur

pro-

propensissimè inclinati, cum res vergat in summum ipsorum bonum; ergo. *Neque bene sic argueres*: Non licet baptizare inuitos Parentes; ergo neque filios inuitis Parentibus. *Disparitas enim est*, quia Parentes reliquit Deus in manu consilij sui. Præcepit autem sancta Synodus Toletan. IV. *can.* 55. *Nemini deinceps ad credendum vim inferri; non enim inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma Iustitiæ*. At paruulis libertate arbitrij destitutis aliter consulendum fuit.

Neque hinc sequitur, obligationem omnibus incumbere ad obuios Gentilium, & Iudæorum pueros salutaribus aquis aspergendos. Nam non omnia, quæ licent, etiam obligant, ne ipsa quidem Lex Charitatis, si, quod præstandum est, sine graui incommodo præstari non potest. Sic non tenetur Princeps puerum bello captum Baptismo statim abluere, quia non tenetur se fraudare vsu sui Dominij, quod in eo consistit, vt possit puerum pro libito apud se retinere, aut Parentibus eum restituere, donando ei libertatem; non posset autem, si abluere teneretur: tunc enim vnà teneretur à Parentibus eum abstrahere, & magno suo incommodo metuere,


re,

re, ne & ipſi Chriſtianorum filios bello captos non reſtituant, vt optimè Suarez, & Vaſquez docuerunt. *Hæc omnia Alma Vniuerſitas Pragenſis.*

Ex quibus iure merito ſperari poteſt, fore aliquando (& vtinam Deus noſtris arrideat votis) vt pręfatam ſententiam Sanctæ Matris Eccleſiæ authoritas, & Chriſtianorum Principum zelus amplectantur, & ad praxim cum magno animarum lucro, & Catholicę Fidei incremento deducant.



CON-



# CONCLVSIO VII.

*Neophyti in aliquibus habentur tanquam Christiani antiqui, in aliquibus verò excluduntur.*



CVM actum sit de Baptismo, abs re futurum non iudico, si aliquos effectus, qui ex Baptismo in Neophytos deriuantur, subtexam.

1 Neophytus igitur, siue nouus Christianus dicitur, qui à reprobata Religione conuersus, de recenti Christianæ militię nomen dedit. *cap. sicuti, dist.* 48. Tali autem nomine gaudet, donec integrũ annum à die suscepti Baptismi expleuerit; post annum verò expletum recensendus videtur inter Christianos antiquos, exemplo militum, qui noui, siue Tyrones dicuntur, quousque anno integro militauerint, sed anno militiæ peracto inter veteranos habentur, *l. qui cum vno*, §. *fin. & l. commeator, vers. Tyroni, ff. de re militar.* quæ conclusio, quamuis absolutè sit vera in dispositione loquente de Neophyto in materia indifferenti, in aliis tamen nonnullas patitur limitationes; vt ex dicendis patebit.

PRI-

PRIMVS itaque EFFECTVS Baptiſmi cum debita diſpoſitione ſuſcepti eſt conferre gratiam, & imprimere characterem, & conſequenter omnia remittere peccata, tum Originale, tum Actualia, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam: ſic definitur in Concil. Florent. *in decreto fidei*, & in Trident. *seſſ.* 5. *can.* 5. *& seſſ.* 6. *cap.* 14. *& seſſ.* 14. *cap.* 1. 8. *&* 9. Vnde idem Concil. Florent. negat eſſe imponendam ſatisfactionem pro peccatis ante Baptiſmum commiſſis; ideoq; aſſerunt communiter DD. non eſſe materiam ne quidem ſufficientem, nedum neceſſariam Sacramenti pęnitentiæ, cum hoc Sacramentum inſtitutum ſit ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 2

Poteſt tamen conuerſus ad fidem etiam ante Baptiſmum omnia anteactæ vitæ peccata confiteri, non ad abſolutionem sacramentalem, cuius non eſt capax, accipiendam, ſed humilitatis gratia, & ad excitandum eorumdem peccatorum dolorem, ad Baptiſmum rite ſuſcipiendum, neceſsarium, vt habetur ſupra *in Meth.* §. 74.

SECVNDVS EFFECTVS eſt, quòd Neophytus nulla irregularitate ligetur ob delicta ante Baptiſmum commiſsa; vnde etiamſi plures in infidelitate occidiſset, adhuc poſset ad ordines promoueri abſque diſpenſatione, modo tamen infra explicando. Nec dicas, in hoc caſu nullum effectum produci à Baptiſmo, cum infidelis per homicidium quamuis voluntarium non incurrat irregularitatem, quæ eſt nexus, & impedimentum inductum lege Eccleſiaſtica, quæ non afficit infideles, vtpote Eccleſiæ non ſubiectos; nam licèt hoc verum ſit, ex ipſo ta- 3

O men

men homicidio imprimitur in homine quidam sanguinis horror, qui illum repellit à sacris, *cap. fin.* 15. *quæst.* 1. Præposit. *in cap. Gaudemus de diuort.* §. *qui autem*, *verſ. In contrarium facit*, ibiq; Abb. *ſub num.* 17. *verſ. Sed dubium*: talis autem horror, qui ex facto naſcitur, purgatur per Baptiſmum, vt tenet Gloſſ. *in cap.* 3. *V. inter peccata*, *verſ. Vnde ſi aliquis*, *diſt.* 26. ſubdens, quod ſiquis occidit mille homines ante Baptiſmum, Baptiſmo ſuperueniente omnis infamia, & irregularitas tollitur: hoc tamen intellige de infamia facti, non verò de infamia iuris, vt mox dicetur *num.* 5. in fine.

4 Idem dicendum de irregularitate ex defectu lenitatis, proueniente ex homicidio licito, quod committit Iudex, vel Miles; ex quo homicidio licèt formaliter dici non poſſit infidelis contrahere irregularitatem, contrahit tamen illum horrorem, qui afficit perſonam, & hunc etiam probabilius eſt per Baptiſmum purgari; vt tenent Tancred. Calderin. Cardin. *in cap. Gaudemus de diuort.* quamuis Hoſtienſ. Io: Andr. & Butr. *in d. cap.* contrarium ſentiant, hac ratione, quia Baptiſmus remittit peccatum, & ſequelam peccati, non autem ea, quæ ſine peccato contrahuntur: ſed reſpondetur, quòd huic infideli non obſtat conſtitutio Eccleſiæ, quæ talem irregularitatem inducit, ſed horror tantùm, qui vt dictum eſt per Baptiſmum purgatur, quando prouenit ex delicto, multò magis quando prouenit ſine delicto. Quod extendendum puto ad irregularitatem, quæ oritur ex infamia, nam cum infidelis per Baptiſmum efficiatur noua creatura, non eſt attendenda qualitas Baptiſmum præcedens, vt infra explicabitur.

Ita

Ita ſentire videntur, Ioann. Honor. *in Compend. iuris Canonic. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 111. & Petrus Corneio *in* 3. *part. D. Thom. tract. de irreg. diſp.* 1. *dub.* 4. *quaſt.* 5. dum dicunt tolli Baptiſmo omnem irregularitatem, præter eam, quæ contracta eſt ex defectu Sacramenti.

Secus dicendum de irregularitate ex defectu corporis, quam contrahere etiam infidelem, vt ſi ſit cæcus, mutus, ſurdus, aut aliter inhabilis, docet Soccin. *in cap. ad Audientiam, num.* 8. *de homicid.* & alij communiter, quæ irregularitas cum adhæreat perſonæ non tollitur per Baptiſmum, quia eo ſuſcepto adhuc remanet deformitas, quæ illum impedit. De leproſo autem, & Æthiope diſtinguit Vgolin. *de irregular. cap.* 50. *num.* 4 dicens eſſe irregulares apud nos, non verò inter leproſos, & Æthiopes: ſed Æthiopem non eſſe irregularem abſolutè docet Maiol. *lib.* 1. *de irregul. cap.* 21. quem ſequitur Gauant. *in Enchirid. Epiſc. V. irregularitas, num.* 18. & probabile dicit Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 84. Idem quoq; dicendũ de defectu nataliũ, vt cum Sylu. *V. Baptiſmus* VI. *num.* 2. & cum Sayr. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. docet Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 6. *num.* 9. vbi abſolutè dicit infamiam ciuilem, ſiue iuris per Baptiſmum non aboleri; quare ſi Iudæus ob furti crimen condemnatus, & virgis cæſus Baptiſmum ſuſcipiat, Clericus ordinari non poteſt, niſi à Principe priùs famæ reſtituatur, vt notat etiam Suarez *in* 3. *part. D. Thom. tom.* 5 *diſp.* 48. *de irregularitate ſect.* 2. *num.* 12. qui *num.* 13. limitat ſuam doctrinam, quando talis infamia contracta eſſet in terris Infidelium; tunc enim dicit huiuſmodi

hominem si confugiat ad Ecclesiam, & baptizetur, non remanere infamem, nec consequenter irregularem; ratio potissima est, quia quando Canones dicunt, omnes illos esse infames, quos leges ciuiles infames faciunt, videntur planè loqui de legibus ciuilibus, quibus Principes, vel Respublicæ Christianæ vtuntur, & de infamia ciuili, quæ intra ipsammet Ecclesiam existit; nam hæc est, quæ in existimatione habetur, quæue indecentiam secum affert; nam illa, quæ omnino foris est, & inter Infideles nec consideratur, nec in aliqua existimatione habetur.

6 Quod dictum est de corporis vitio, & defectu natalium, idem dic de irregularitate proueniente ex defectu Sacramenti, hoc est ex bigamia, quam etiam infideles incurrere definitum est ab Innocentio III. *in epist. 22. cap. 2.* cuius dispositio refertur *in cap. si quis viduam, dist. 50.* vbi si Laicus talem vxorem duxerit, siue ante Baptismum, siue post, non admittitur ad Clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. Ex quo patet, quòd duplex matrimonium à Iudæo, siue ab alio infideli licèt vnum ante, & aliud post Baptismum contractum inducit irregularitatem bigamiæ, & docent communiter DD. cum Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 83. num. 9.*

7 TERTIVS EFFECTVS est, quòd Infidelis baptizatus efficitur ciuis illius Ciuitatis, in qua Baptismum suscepit, vt habetur *in Const. 32.* Pauli III. §. 3. *in principio huius libri apposita*: Ratio autem est, quia generatio spiritualis esse non debet naturali inferior, *Cap. debitum de Baptismo*, & docet Lucas de Penna *in l. Ciues, col. 2. in fine, vers. Non præter*

*ter causam*, *C. de Incolat. & vbi quis domicilium.*

Et quia Infidelis per Baptismum efficitur noua creatura, *cap. 1. & cap. deniq; dist. 26. cap. quomodo de pęnit. dist. 2.* & Glofs. *in cap. ferrum, V. quod non fuit, dist. 50.* hinc fit, vt qualitas præcedens Baptismum non habeatur in consideratione, sed reputetur, perinde ac si eadem die, qua Baptismum suscipit, prodiret in lucem; ac propterea tales habendi sunt infideles baptizati, quales se gerunt postquam sunt ad fidem conuersi; ita vt si post conuersionem vile, & ignobile exerceant ministerium, inter ignobiles debeant reputari; si verò nobiliter, & ingenuè viuant, primum gradum incipiant tenere nobilitatis: Ita sentire visa est Rota *decis. 249. part. 1. recent.* Talem autem nobilitatem non esse comparandam nobilitati antiquorum Christianorum, testatur eadem Rota *d. decis. sub num. 5.* 8

QVARTVS EFFECTVS est, quòd gaudeat priuilegijs miserabilium Personarum præsertim electionis, & variationis fori, prout diximus supra *concl. 1. num. 17. & seqq.* & licèt conuersus ad fidem dicatur Neophytus, siue nouus Christianus solùm ad annum, relinquitur tamẽ arbitrio Iudicis concedere huiusmodi priuilegium iuxta facti, & personæ qualitatem, etiam post annum, & annos inquit Nouar. *de elect. & variat. fori, sect. 1. quæst. 48. num. 7.* vbi contra Anan. *in cap. Iudas, num. 8.* quem referendo sequitur Amat. *decis. 105.* dicit, hoc procedere etiam in ijs Neophytis, qui non sunt pauperes, aliàs tale priuilegium conuersis ad fidem concessum esset fictitium, & nihil operaretur, cum priuilegium electionis, & variationis fori omnibus pauperibus generaliter competat, vt diximus *d. concl. 1. n. 20.* 9

QVIN-

10 QVINTVS EFFECTVS est, quòd Neophyti retineant eadem prorsus iura, quæ sibi competebant ante Baptismum, vt habetur ex *cap. Iudæi 2. eodem tit. de Iudæis*, ibiq; Butr. *num.* 5. Abb. & Anan. *num.* 1. Alex. *lib.* 4. *cons.* 104. *num.* 1. & alij.

Ratio autem est, tum quia per Baptismum melioris fieri debent conditionis, *d. cap. Iudæi*, tum quia nouæ dignitatis assecutio confirmat, non aufert primæua iura, *l.* 3. *C. de silentiar. lib.* 12. Vnde deducitur.

11 PRIMO, Neophytis deberi alimenta à Parentibus, & liberis, sicuti debebantur in infidelitate. Felin. *in d. cap. Iudæi sub num.* 2. ibiq; Anan. *num.* 4 Salicet. *in l. Cognouimus, C. de hæretic.* & alij communiter.

12 SECVNDO, filiam ad fidem conuersam esse à Parentibus dotandam. *d. l. cognouimus*, vbi, quòd alimenta, & dos, necnon donatio propter nuptias sint constituenda iuxta vires patrimonij, & docet Salicet. & alij supra cit.

13 TERTIO, liberis ad fidem conuersis deberi legitimam ex bonis Parentum, *d. l. Cognouimus, & d. cap. Iudæi*, ibiq; Anan. *num.* 4. & Felin. *num.* 2. Immo quamuis filij regulariter non possint petere legitimam, nisi post Parentum obitum, *l.* 1. §. *impuberi, ff. de collat. bonor. l. post emancipationem, ff. de liber. legat.* Nihilominus filij ad fidem conuersi possunt legitimam petere adhuc ijs viuentibus, vt habetur *in d. Constitut.* Pauli III. *in princip. ante* §. 1. non obstante quacumq; ingratitudine in Parentes commissa, vt *num seq.* dicetur. Ideoque poterunt compellere Patrem, vt sibi legitimam assignet, vt *ex d. cap. Iudæi* latè probant, Ferett. *cautel.* 24.

*in*

*in fin.* Vrsill. ad Afflict. *decis.* 151. *num.* 10. Duenna *regul.* 356. *limit.* 1. Carpan. *ad stat. Mediol. cap.* 485. *num.* 105. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 4. *num.* 5. Marquard. *de Iudæis part.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. Viui. *commun. opin. in V. Legitima, num.* 9. quos omnes allegando sequitur Merlin. *de legitim. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 16. *num.* 2. qui limitat hanc doctrinam. *PRIMO*, quando bona essent à Patre ex vsuris acquisita; quæ limitatio intelligi debet iuxta mox dicenda *num.* 18. *SECVNDO*, quando ad hanc legitimam persoluendam non essent facultates, ita vt Pater sibi victum coarctare cogeretur, si filio subueniret.

14 QVARTO, Neophytum succedere Parentibus, & consanguineis eodem prorsus modo, quo succedere poterat ante Baptismum, vt habetur *in d. cap. Iudæi,* ibi, *portionem hæreditatis suæ*, & *in d. l. cognouimus, & d. cap. deniq;* §. *quid de talium, dist.* 26. Gloss. *in cap. Iudæorum* 28. *quæst.* 1. quod decernitur etiam *in præfat. Constit.* Pauli III. ante §. 1. idque procedit, etiamsi filius ante conuersionem commisisset in Parentes ingratitudinem, ob quam meruisset exhæredari, quia per Baptismum omnis ingratitudo purgatur, ideoq; recuperat ius succedendi, perinde ac si nullam ingratitudinem commisisset. Hostiens. *in d. cap. Iudæi*, ibique Felin. *num.* 1. Marquard. *de Iudæis part.* 3. *cap.* 6. *sub num.* 30. quos refert, & sequitur Ricciull. *de Neophyt. cap.* 9. *num.* 9. qui *num.* 10. confirmat suam sententiam argumento à minori ad maius: sicuti enim, inquit, ingratitudo purgatur per ingressum Religionis, *Cap. liceat* 19. *quæst. vlt. Auth. de sanctis Episcopis*, §. *licentiam damus*;

ergo

ergo multò magis purgabitur per conuersionem ad fidem, in cuius fauorem multa sunt specialiter constituta, *Cap. in fidei fauorem, de Haretic. in 6.*

15 Viceuersa cum per Baptismum non extinguantur iura, & rationes cęteris competentia, *Cap. Gaudemus de diuort. Cap. deinde, dist. 26. Cap. si res, dist. 24. quast. 6.* ibiq; communiter scribentes; Conuersus ad fidem tenetur soluere debita ante Baptismum contracta; tenetur ministrare alimenta Parentibus infidelibus si egeant; cum ad hoc de iure naturæ teneretur ante Baptismum, *Cap. si qui filij, dist.* 30. si erat mancipium, per Baptismum non eximitur à seruitute, nisi vbi id ex consuetudine receptum est; nam nullo iure constat, quòd eximatur, D. Thom. *in 4. dist. 39. art. 4.* Bonac. *disp. 2. de Baptis. quast. 2. pun. 7. num.* 17. Leand. *part. 1. tract. 2. disp. 6. quast.* 11. & alij apud ipsos; & habetur supra *in Methodo* §. 39.

16 Item tenetur ex delicto ante conuersionem patrato, iuxta veriorem sententiam, Abb. & Hostiens. *in d. cap. Gaudemus*, Soccin. *in cap. de his, de accusat.* ibiq; Anan. testatur de communi; quod probatur etiam ex paritate rationis; sicuti enim per adeptionem libertatis non tollitur delictum in seruitute commissum, *l. Athletas, §. Pomponius, & l. penult. de his, qui notantur infamia*; ita per susceptionem Baptismi non tollitur pęna delicti; idq; multò magis procedit, quando adsunt sufficientia indicia, quòd infidelis fidem susceperit in fraudem, nimirum, ad pœnam euitandam, vt probat Text. *in cap. ad abolendam de Haretic.* ibiq; Abb. *num. 6.* & Ruin. *cons. 13. ante num. 4.* Cęterùm fraudis suspicione remo-

ta,

ta, cum Infidelibus ad fidem conuersis mitiùs agere consueuerunt Iudices, idq; eis licere pro eorum arbitrio dixit idem Ruin. *loc. cit.*

Limitat autem supra allatam doctrinam Henricus 17
Gandauensis, *quodlibet.* 4. *quæst.* 15. quem cum alijs refert, & sequitur Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 6. *num.* 9. quando peccatum ante Baptismum commissum, cedit dumtaxat in iniuriam Dei, non autem in damnum Communitatis, vel priuatæ personæ, *exempli gratia*, Iudæus sacram hostiam cultro sacrilegè conscidit, exinde mox sanguis profluxit, quo ille miraculo commotus, fidem Christianam, atq; Baptismum sponte petiuit, ac impetrauit, tunc enim asserit, talem hominem non esse, propter commissum facinus, pœna aliqua afficiendum.

SEXTVS EFFECTVS est, quòd Neophyti non 18
solùm retineant omnia bona, quæ iustè possidebant in infidelitate, *d. cap. iudæi*, vbi Abb. *num.* 1. Felin. *in princip.* & cæteri omnes; verùm etiam retinere possunt, quæ acquisierunt ex vsuris, & illicito quæstu, dummodo ignorentur certæ personæ, quibus restitutio facienda est, idq; ex indulto Apostolicæ Sedis in fauorem fidei, & vt Infideles faciliùs ad fidem alliciantur, prout disponitur *in d. Const.* Pauli III. §. 1. vbi cauetur, ne super bonis huiusmodi quouis quæsito colore valeant molestari.

Vnde inferri potest, quòd in taxanda quantitate 19
dotis, & legitimæ, de quibus *supra n.* 12. computanda sunt etiam bona ex illicita negotiatione comparata, quatenus certæ personæ, quibus restitutio debetur, ignorentur; nam cum vigore *præfata Const.* dicta bona concedantur illis, qui conuertuntur ad fidem,

vtiq; huiusmodi fauor debet prodesse filijs, ideoque qua ratione si bona essent propria illis concederentur, eadem concedi debet, vt in dictis bonis petere possint, quod sibi Iure debetur, *argumento l. illud, ff. ad l. Aquil.* vt bene firmat Ricciull. *de Neophytis cap 9. num. 16.*

20 Diximus *supra num. 1.* Infidelem conuersum ad fidem post Annum à suscepto Baptismo expletum non esse amplius Neophytum, sed inter antiquos Christianos recenseri, sed cum aliquibus limitationibus, quarum PRIMA sit.

21 Non potest Neophytus etiam post dictum annum expletum neq; maioribus, neq; minoribus ordinibus initiari, cum sit irregularis, vt habetur *cap. quoniam, dist. 48. cap. qui Ecclesiasticis, & cap. qui officia, dist. 59. cap. sacerdotale, dist. 61. cap. ordinatus, dist. 59. cap. in Sacerdotibus, cap. non negamus, & cap. miramur, dist. 61.* & docent DD. communiter, qui tamen non conueniunt, quod temporis spatium à suscepto Baptismo intercedere debeat, vt quis desinat esse irregularis, possitq; absque dispensatione, quam solus Pontifex concedere potest, vt constat *ex cap. Neophytus, dist. 61.* sacris initiari.

22 Decennium exposcit Hurtad. *disp. 2. de irregul. diff. 19. num. 61.* quem refert Dian. *part. 4. tract. 2. resol. 50. in fin.*

23 Alij mitiùs loquentes dicunt, satis esse lapsum biennii. Ita Roman. *sing. 422. Campanil. in diuersor. iuris Canonic. rubr. 11. cap. 7. num. 4 & seq.* Ricciull. *de Neophyt. cap. 10. num. 9.* & probant ex *cap. Monasterijs 19. quaest. 3.* vbi prohibetur Nouitio Religionem ingresso, ne intrà biennium ordinetur.

Sed

Sed cum nullum tempus definiatur, & assignetur à iure ad iudicandum, quando quis ad hunc effectum desinat esse Neophytus, & consequenter cesset irregularitas, ita vt possit sine dispensatione ordinari, probabilius est id remitti arbitrio Episcopi, qui Neophyti integritatem, fidem, & scientiam præcognoscens poterit ex circumstantiis personæ, loci, ac dignitatis, modò longius, modò breuius tempus præfigere; quando enim vita Neophyti talis est, qualis bonum decet Sacerdotem, & Neophytis honores vt plurimùm appetentibus, aliquis humilis reperiatur, poterit ordinari. Ita desumitur *ex cap. si quis in ægritudine, dist.* 57. ibiq; Turrecrem. & Roman. *loc. cit.* & docent, Rodriguez *tom.* 1. *de Regular. quæst.* 24. *art.* 7. Couarruu. *in Clementin. si furiosus, part.* 1. *num.* 20. *conclus.* 3. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 4. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 28. *quæst.* 2. *num.* 12. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 11. *num.* 8. quos refert, & sequitur Marchin. *de Ordin. tract.* 1. *par.* 10. *cap.* 2. *num.* 18. quibus Leand. *part.* 5. *tract.* 2, *de irregular. in particul. disp.* 25. *quæst.* 8. addit Suar. *disp.* 43. *sect.* 3. *num.* 6. & 7. Vgolin. *cap.* 2. §. 2. *num.* 4. Bonac. *quæst.* 2. *de irregul. pun.* 5. *num.* 1. Gordon. *lib.* 7. *quæst.* 18. *cap.* 1. §. 1. Giballin. *cap.* 3. *de irregular. quæst.* 3. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 20. *cap.* 9. *quæst.* 5. *num.* 240. & Dian. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 50. qui dicunt, quòd in dicto casu Episcopus verè non dispensat in irregularitate, cum id præstare non possit, sed solùm declarat, iam impedimentum cessasse. 24

Postquam verò Neophytus ordinatus est, efficitur capax beneficij requirentis illum ordinem, ad quem 25

promotus est, siue beneficium sit simplex, siue Curatum, siue Canonicatus etiam in Cathedrali, siue sit iuris patronatus, siue liberæ collationis, vt latè probat Lambertin. *de iur. patron. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 14. *num.* 7. *& seq.*

26 Quod dicitur de beneficiis Ecclesiasticis, dicendum est etiam de publicis officiis secularibus, quibus non esse promouendos Neophytos, censuit Gloss. *in cap. constituit* 17. *quæst.* 4. & ibi Archidiacon. & adest vulgatum apud veteres adagium, non esse de facili Tyroni committendam custodiam, *l. fin. C. de custod. reor. & l. properandum, C. de postulat.*

27 Hoc tamen intelligi debet de iis, qui de recenti Cristianæ militiæ nomen dederunt, non autem de ijs, qui iamdudum ad fidem conuersi sunt, & propter assiduum bonæ conuersationis odorem veterani milites habentur, vt bene distinguit Felin. *in cap. cum sit, in princip. vers. Et amplia mirabiliter.*

28 Expedit tamen aliquando etiam de recenti baptizatum ad aliquem honorem promoueri, vt si esset ex cognatione Principis infidelis, vel ex primariis Iudæorum oriundus, tum vt ipse intelligat, Christianam religionem terrenas sibi non abstulisse dignitates, tum vt cæteri illius exemplo faciliùs ad fidem capessendam alliciantur, Gloss. *in cap. quàm pio, V. interuentu*, & ibi Turrecrem. *col.* 2. *vers. In facto*, & alii.

29 SECVNDA LIMITATIO. Prohibetur Neophytus consecrari in Episcopum, nisi præcesserit longa vitæ probatio: Ita statutum est *cap. qui de Ecclesiasticis, & cap. Sacerdotale, dist.* 59. *& cap. in Sacerdotibus, cap. non negamus, & cap. miramur, dist.* 61. & docent communiter DD.

Ra-

Ratio autem, cur Neophytus ordinari nequeat in Episcopum, est, ne in superbiam elatus, inquit D. Paul. 1. *ad Timoth. cap.* 3. in iudicium incidat Diaboli. 29

Vnde infertur, quòd in Neophyto humili, & in fide solidato cessat ratio prohibitionis, & consequenter cessat prohibitio propter rationem inducta, vt vult Text. *in cap. Neophytus, dist.* 61. propterea Summus Pontifex potest cum eo dispensare, vt colligitur *ex pracit. cap.* & docet Turrecrem. *in Summ. dist.* 48. *sub num.* 4. *vers. Ad secundum patet*. Azor. *instit. moral. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *quast.* 12. *vers. Verius tamen*. Immo necessaria non est formalis dispensatio, quia irregularitas Neophyti non est similis aliis, quæ desiderant dispensationem, sed remittitur Superioris arbitrio, qui eum promouendo satis declarat, eum esse in fide solidatum, ac propterea cessasse irregularitatem. 30

Sufficit igitur solus actus promotionis factus cum scientia, *cap. cum olim propter quastiones, de priuileg. l. quidam consulebant, ff. de re indic.* Couarruu. *in d. Clement. si furiosus, part.* 1. *num.* 7. §. 2. *vers. Secunda conclusio*. Hoyed. *de incompatibilit. part.* 1. *cap.* 24. *num.* 3. & alii. 31

Nec audiendus est Dominicus Magr. *in notit. Vocab. Ecclesiast. V. Neophytus*, vbi distinguendo tria genera Neophytorum *in fide*, *in statu Ecclesiastico*, & *in atate*, asserit, verba D. Pauli, *Non Neophytum;* intelligenda esse non de Neophyto *in fide*, sed *in statu Ecclesiastico*; & rationē adducit, quia scilicet Apostoli, cæterique in primitiua Ecclesia consecrati sunt Episcopi, licèt essent Neophyti *in fide*. Sed hæc ratio 32

non

non conuincit; nam si Apostoli, cæterique erant Neophyti *in fide*, multò magis *in statu Ecclesiastico*, quem necessariò præcedit Baptismus. Igitur verba D. Pauli intelligenda sunt de primo genere Neophytorum, vt communiter recipiuntur, vel de primo, & secundo simul, vt aliquid tanto Auctori concedamus. Cæterùm quòd Neophytus *in ætate*, hoc est, minor triginta annis completis, sit incapax Episcopatus, docent communiter DD. quos, allegando diuersa iura contrarium prohibentia, pleno calamo cumulat Narbona *de ætate Ann.* 30. *quæst.* 5. *per tot.*

33 Hìc animaduertendum est, quòd licèt hæretici sint irregulares, *cap.* 2. *de hæretic. in 6.* quod procedit, etiamsi reuertantur ad fidem Catholicam, Innocent. I. *epist.* 22. *cap.* 1. *ad Episcop. Maced.* & est communis sententia apud Sanch. *in præcept. Decalog. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 2. & apud Layman. *in tract. de irregularit. cap.* 4. *num.* 11. *in fine:* & quod dicitur de hæreticis, procedit etiam de eorum filijs vsq; ad secundam generationem per lineam paternam, & vsque ad primam per lineam maternam, quatenus Parentes ipsi defuncti fuerint impœnitentes, *cap. quicunque de hæretic. in 6. cap. Statutum §* 2. *eodem tit.* Sanch. *loc. cit. cap.* 28. *num.* 7. Maiol. *lib.* 5. *cap.* 40. *num.* 4. Suarez *disp.* 24. *de fide, sect.* 1.

34 Nihilominus hoc intelligi debet de ijs hæreticis, qui semel cognita veritate Catholicæ fidei, ab ea defecerunt, non autem de ijs, qui nati sunt in illis regionibus, in quibus palam, & impunè hæreses grassantur. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Sanchez *loc. cit. cap.* 27. & 28. *num.* 28. *in fine*. Emmanuel Sà *V. Hæresis, num.* 4. Filliuc. *tract.* 22. *num.* 228.

Lay-

Layman, *loc. cit.* §. *nota: verò*, quos omnes refert, & sequitur Carolus Antonius Thesaurus *de pœnis Ecclesiasticis, part.* 2. *V. Hæresis, cap.* 3. *num.* 2. *vers. Limita secundò*. Isti enim habentur non tanquam hæretici, sed tanquam infideles, ideoque si conuertantur ad fidem, & hæresim natiuam abiurent, sunt tantummodo irregulares, quamdiu sunt Neophyti, sed quando arbitrio Episcopi, vt supra dictum est, roborati sunt in fide, nulla indigent dispensatione.

Credo tamen consultum esse, antequam sacris initientur, ipsos sub conditione iterum baptizare. 35
Nec obstat, quòd pluries ab Ecclesia definitum fuerit, Baptismum ab Hæreticis rite collatum validum esse, nec iterandum, Innocent. III. *in Concil. Lateran.* Eugen. IV. *in Florentino, decreto Fidei*, & Concil. Trident. *sess.* 7. *Can.* 4. *de Baptis.* & est communis Theologorum sententia: non obstat inquam, nam hæretici nostri temporis tam longè distant in collatione Baptismi à ritu Romanæ Ecclesiæ, vt probabilis suspicio haberi possit de aliquo essentiali errore; & aliàs valde absurdum est, & res plena periculi, propter damna, quæ inde fidelibus prouenirent, dubium de suo Baptismo ad Ordines promouere.

Immo quòd omnes baptizati ab Hæreticis, & In- 36
fidelibus possint, ac debeant iterum sub conditione baptizari, licèt ex alio capite non dubitetur de valore sui Baptismi, pluribus relatis fusè, ac disertè probat Antonius Quintanaduennas *in suis singularibus, tract.* 1. *de Baptis. sing.* 3. *num.* 3. *& seqq. vsq; ad finem*.

TERTIA LIMITATIO. Neophyti non possunt 37
esse testes contra Christianos, quia à testimonio repel-

pelluntur, per Text. iuncta Gloss. *in cap. constituit* 17. *quæst.* 4. & docent, Felin. *in cap. Iudæi, sub num.* 1. *de testibus, & in cap. cum sit, sub num.* 1. *de Iudæis, & Saracen.* Crott. *in tract. de testibus*, 4. *part. vers. Nonò quæritur, num.* 3. Mascard. *de probat. conclus.* 945. *num.* 4. Vrsill. in addit. ad Afflict. *decis.* 214. Tiraquell. *in tract. cessante causa, limitat.* 16. *num.* 7. & plures allegando Farinac. *in tract. de testibus, quæst.* 56. *art.* 6. *num.* 208.

38 Probatur autem hæc sententia. PRIMO, quia nouiter conuersus à susceptione Ordinum repellitur *ex cap.* 1. *&* 2. *dist.* 48. ideoque etiam à testimonio repelli debet, cum ista pari passu procedant, *cap. fin.* & ibi DD. *de testibus*. SECVNDO, quia Neophytus appellatur adhuc suspectus, & multa eget probatione etiam post Baptismum, *d. cap.* 1. *dist.* 48. TERTIO, quia plerumque videmus æquiparari, aliquid nondum factum esse, vel esse de recenti factum, vt probat Felin. *in cap. eam te, num.* 12. *de rescript.* QVARTO, quia inimicus de recenti reconciliatus à testimonio repellitur, *cap. accusatores* 3. *quæst.* 5.

39 Nec vim faciunt rationes, quas pro contraria sententia, quam sequitur, adducit Marquard. *de Iudæis, part.* 2. *cap.* 5. *num.* 13. vbi docet Neophytum à testimonio non esse repellendum, quia post Baptismum incipit esse, quod non fuit, & ad fidem conuersus efficitur nouus homo, neque est contemnendus, quia fuit Iudæus, sed commendandus, quia fidem suscepit. Nam licèt hæc vera sint, non tamen necessariò sequitur, Neophytum esse testem idoneum, præsertim cum expresse repellatur per Text. iuncta Gloss. *in d. cap. constituit* 17. *quæst.* 4. Ideoque Viuius *in com-*

*mun.*

*mun. opinion. V. testis esse potest Christianus, vers. Ampliа hoc etiam procedere.* Primam sententiam tanquam communem tuetur, & rationes contrarium tenentium inanes esse testatur.

Immo Roman. & Marsil. quos refert Farinac. *loco cit. num.* 10. dixerunt, Iudæum effectum Christianum semper esse à testimonio repellendum, quasi semper in eo duret infamia Iudaismi; quam sententiam ipse meritò existimat falsam, & pluribus probat, præsertim *ex text. in cap. eam te, de rescript.* vbi iste conuersus ad fidem admittitur ad sacros Ordines, & ad dignitates Ecclesiasticas, multò magis ad testimonium iuxta *cap. fin. de testibus.* 40

Esset tamen vera, & locum haberet in Iudæo, etiam iamdudum conuerso, qui vxorem, vel filios neglexisset ad Fidem trahere, ita per Text. iuncta Gloss. *in cap. quod crimen 6. quæst.* 1. tenuit Felin. *in cap. Iudæi, sub num.* 1. *de testibus, & in cap. cum sit, eodem num. de Iudæis,* & tenet etiam Marquard. *de Iudæis, part.* 2. *cap.* 5. *sub num* 12. & obseruat Farinac. *loco citato num.* 212. quòd contra eum præsumitur, quòd fuerit negligens, nisi ipse probet, se adhibuisse diligentiam ex Archid. & Roman. *in locis allegatis* per Felin. *in d cap. cum sit, sub num.* 1. *de Iudæis.* 41

Quæ dicta sunt de Neophyto, nempe de Iudæo, vel alio Infideli conuerso, intelligenda sunt etiam de Hæretico pœnitente, & Crucem portante, qui & ipse à testimonio repellitur, vt docet probabiliùs cum Mascard. *de probat. conclus.* 1356. *num.* 35. *lib.* 3. Farinac. *loc. cit. num.* 213. contra Spec. *in tit. de testibus, §.* 1. *vers. Quid de portantibus Crucem, num.* 42

85. & contra Aufrer. *in tract. de testibus, num.* 50. *& fusiùs num.* 80. Ratio autem est, quia cum iste fuerit in crimine hæresis grauissimo, & excedente crimen læsæ Maiestatis, cuius pœna transit etiam ad filios, *vt in cap. vergentis de hęreticis, & cap. statutum de hęreticis in 6.* quodue etiam de Iure Ciuili infamiam inducit, & reddit inhabilem ad testimonium, *iuxta cap. testimonium*, & latè *ibi* Scribentes, *de testibus*.

43 Tacendum tamen non est, supra allatam doctrinam absolutè excludentem Neophytos à testimonio, non omnino placere Couar. *in Clem. si furiosus, de homicid.* 1. *part. relect.* §. 2. *num.* 8. *in* 4. *concl.* vbi libenter Iudices admonet, vt in ea opinione ad praxim recipienda cautissimè procedant, ac discreti viri arbitrio vtantur. Idem confirmat Salzed. *in pract. crimin. canon. cap.* 22. *V. Neophyti, num.* 5. dicens id Iudicis prudentię relinquendum, qui perpensa qualitate rei, ipsorumque testium, ex dicta causa fidem adhibeat, vel deneget.


44 Denique vtramque opinionem concordare nititur Hoyeda *de incompatib. benefic. cap.* 24. *num.* 5. *vers. Pro concordia autem*, vbi dicendum esse affirmat, quòd Felini sententia procedit, quando quæstio vertitur inter Infidelem, & Catholicum; tunc enim non admittitur Neophytus in testem. Si autem quæstio est inter Catholicos, Neophytus bene potest in testem admitti, quia par affectio tollit omnem suspicionem, vt ibi latè iure probat. Quam concordiam sibi placere, ac videri tenendam nouissimè testatur D. Ioan. Gutierrez *in sua praxi criminal. ciuil. & canonic. quæst.* 25. *num.* 13.

QVAR

 45

QVARTA LIMITATIO. Non licet Neophyto familiaritatem habere cum vllis, præsertim olim suæ sectæ Infidelibus, quia licèt inter omnes Catholicos, & Infideles in ijs, quæ spectant ad vsum politicum, illa tantummodo communio sit interdicta, ex qua probabiliter timeri potest subuersionis periculum, vt probat Text. *in cap. ad hæc, de Iudæis, & in cap. Iudæorum, & cap. sæpe, & cap. nullus, & cap. omnes 28. quæst.* 1. ibique Scribentes; nihilominus, quia in Neophytis maius viget subuersionis periculum, cum nondum sint roborati in fide, ideo cautiùs cum eis agendum est, *cap. vbi periculum, de elect. lib. 6.*, & docet Ricciull. *de Neophytis, cap.* 11. *per totum*; idque cauetur etiam in sæpius laudata Bulla Pauli III. §. 4.







# CONCLVSIO VIII.

*Petente Auo Christiano baptizandi sunt Nepotes infantes, etiam reluctante, & contradicente Patre Hebræo.*

## Vbi

*An Orphanis Hebræis dandus sit Tutor Christianus, & ad quem Iudicem hoc spectet.*

Ieronymus Dominicus Senensis olim in Iudaismo Elias Cetonus nuncupatus, paucis ab hinc mensibus Deo inspirante, Baptismi gratiam recepit, cumque in Iudaismo duos ex filio nepotes septennio minores, ideoque vsu rationis carentes reliquerit, ipsos tanquam ex suo sanguine descendentes paptizari petit: quæritur modò, an ijs Baptismus conferendus sit, etiam inuito, & reluctante Patre Hebræo.

1 Et quamuis inficiari non possumus, probabilem esse opinionem docentem ipsos quoque Iudæos filios suos habere in potestate, *Gloss. in cap. Iudæorum* 28. *quæst.* 1. vbi dicit, filios Iudæorum eximi per Bap-

tismum

tiſmum à patria poteſtate, Bald. Alberic. & Cyn. *in l. item in poteſt. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alterius iuris*, & communiter Canoniſtæ *in cap. de conuerſ. Infidel.* Alexander *lib. 2. conſ. 71. num. 2. & conſ. 99. num. 4. & lib. 7. conſ. 13. num. 9.* Pariſ. *lib. 4. conſ. 2. num. 9.* Tiraquel. *de Iure primogen. quaſt. 66. num. 2.* Soccin. *lib. 1. conſ. 62. num. 12.* Natta *volum. 3. conſ. 620. num. 8.* Burſatt. *lib. 1. conſ. 121. num. 6.* Roland. *lib. 2. conſ. 35. num. 27. & ſeq.* Maſcard. *de probat. lib. 2. concluſ. 944. num. 24.* Nauarr. *lib. 1. conſ. 4. de conuerſ. Infidel.* Clemen. *de Patria poteſt. effectu 7. num. 6.* Ideoque ipſis inuitis, & reluctantibus non poſſunt ante vſum rationis baptizari, iuxta communiorem, magiſque receptam doctrinam D. Thomæ *quaſt. 68. art. 10. & 2. 2. quæſt. 10. art. 12.* quem ſequuntur Caietanus *ibidem* Sotus *in 4. diſt. 5. quæſt. vnic. art. 10.* Silueſter, Paludan. Victor, & alij, quos referunt, & ſequuntur, Vaſquez *diſput. 355. cap. 1.* Ægydius de Coninck *quaſt. 68. num. 10.* Hurtad. *diſput. 1. difficult. 4.* Viuald. *de Baptiſmo, cap. vltimo*. Candidus *diſquiſit. 16. dubit. 5.* & alij innumeri.

2 Nihilominus in caſu noſtro præferendus eſt conſenſus Aui Chriſtiani diſſenſui Patris Infidelis, quia, cum Auus ſit ſtipes, & caput omnium à ſuo ſanguine deſcendentium habet ius in omnes, præſertim in materia Religionis.

3 Nec valet obijcere, non poteſt Auus cogere proprium filium ad Baptiſmum, multò minùs Nepotes; ratio diſparitatis eſt; quia ideo non cogit filium doli capacem, & ratione vtentem, quia nullus adultus baptizari poteſt inuitus, vt docent communiter

ter DD. propter periculum, ne Baptiſmum fictè ſuſcipiat, ac deinde data occaſione iterum iudaizet; quod periculum ceſſat in caſu noſtro, cum pueri vſu rationis carentes Baptiſmum fictè recipere nequeant, & occaſioni iudaizandi occurritur, dum educantur apud fideles, vt contra Burſatt. *conſ.* 231. *ſub num.* 6. & Calder. *conſ.* 3. *num.* 2. *de Iudæis*, docent communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ.

4 Sicuti nec magni ponderis eſt alia obiectio, quòd ſi petente Auo baptizarentur inuito Patre, inferretur iniuria patriæ poteſtati, nam ob eamdem cauſam neque mater ſiue Chriſtiana, ſiue Infidelis poſſet præbere conſenſum Baptiſmo communium filiorum inuito Patre, ne patriæ poteſtati inferret iniuriam, & tamen certum eſt, Matrem non modò conuerſam ad fidem petere poſſe communem ſobolem baptizari, licèt Marito, & Patre reſpectiuè diſſentiente, & tunc Baptiſmum non poſſe denegari, Text. *in cap. ex literis*, & ibi Abbas *de conuerſ. Infidel. & in cap. Iudæorum* 28. *quæſt.* 1. Azor. *Inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 3. *in fin.* Marquard. *in tit. de Iudæis, part.* 3. *cap.* 2. *num.* 10. Valentia *diſp.* 4. *quæſt.* 3. *punct.* 3. Vaſq. *loc. cit. cap.* 3. *num.* 35. Suarez *diſp.* 25. *sect.* 3. Bonac. *diſp.* 2. *de Sacram. quæſt.* 2. *pun.* 6. *n.* 11. Barbatia *conſ.* 58. *volum.* 3. *n.* 1. Paſchal. *de virib. patriæ poteſt. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 10. & ſequuntur Salern. *conſ.* 14. §. 2. *num.* 15. Vrſill. ad Afflict. *deciſ.* 151. *num.* 7. & alij quamplurimi; ſed etiamſi tam Pater, quàm ipſa Mater in infidelitate permaneant, adhuc tamen Matre petente, & Patre reluctante infantulus baptizari debet, vt poſt Suarez vbi ſupra, & poſt alios, quos congerit, tradit Bo-

nac.

nac. *loc. cit. vers. Respondeo;* qui rationem reddunt, quia cum actus ille cadat in fauorem Religionis, & salutis infantium maximè fauorabilis est, & consequenter consensus Matris præferendus est dissensui Patris.

Vnde bene infertur, quòd licet Matri inuito Patre, non obstante iure patriæ potestatis, quod in Patre, non autem in Matre residet; multò magis licebit Auo, qui maius ius habet in nepotes, quàm Mater in filios, vt exploratissimi Iuris est, & fusiùs infra dicetur. 5

Deinde petente Auo Baptismum nepotum dici nequit, quòd baptizentur inuitis Parentibus, cum & ipse Auus veniat appellatione Parentum, *l. appellatione Parentis* 51. *ff. de verbor. significat.* Laurus Palat. *de statut. tom.* 2. *num.* 110. vbi quòd etiam procedit ex propria significatione, iuxta *l. Iurisconsultus*, §. *Parentes*, *ff. de gradib. & affinib.* Barthol. de Spin. *de potest. patr. tom.* 13. *num.* 103. 6

Immo etiam appellatione Patris venit Auus Paternus, *l. Iusta interpretatione* 201. *de verbor. significat.* vbi Gloss. *in V. Auus*, & ibidem Rebuff. *col.* 2. *in princip.* notat, hoc esse ex iusta, & propria significatione. Cardinal. *in cap. cum haberet, in fin. de eo, qui duxit in matrim. quam polluerat per adulter.* Clemen. *de patr. potest. effectu.* 1. *num.* 12. *tom.* 8. *par.* 2. post Bald. *in l. scimus*, *num.* 12. *C. de inoffic. testam.* vbi etiam quòd habet locum in quibuscumque dispositionibus, & statutis, quamuis strictè debeant intelligi. Surd. *de aliment. tit.* 6. *quæst.* 8. *num.* 16. Boer. *cons.* 17. *num.* 7. quos citat, & sequitur Gratian. *disceptat. forens. tom.* 5. *cap.* 977. 7

*num.*

*num.* 4. qui addit *num.* 6. quòd iſta prælatio conſenſus Baptiſmatis eſt danda Auo, non obſtante contradictione Patris, cum Auus habeat nepotem in poteſtate, non filius, qui cum ſit in poteſtate Patris, non poteſt habere alios in ſua poteſtate, *l. ſic eueniet, ff. ad l. Iuliam, de adulter.* Roman. *in l. multum, ff. de verbor. obligat. poſt gloſſam in cap. vnic. V. neptis, ad fin.* 32. *quaſt.* 3. Immo filij appellatione nepotem per interpretationem contineri, dicit Text. *in præcitata l. Iuſta, de verbor. ſignificat.*

8 Et hoc multò magis verum eſt, cum agatur de Auo conuerſo ad fidem, non enim ex hoc amiſit ius patriæ poteſtatis, quam retinet in filios, & nepotes non Catholicos; nam propter conuerſionem ad fidem non eſt factus deterioris, ſed melioris conditionis, vt per Clemen. *de patr. poteſt. effect.* 7. *num.* 6. *col.* 1. *ad med. verſ. Sed quæro*, *tom.* 8. *par.* 2. *fol.* 112. iuxta notata per Io: Lecirier, *de primogen. quaſt.* 17. *num.* 1. *lib.* 1. & per Anan. *in cap. Iudæi il* 2. *de Iudæis*.

9 Quod autem non ſolùm Auus, ſed omnes alij Aſcendentes ex parte Patris per lineam virilem, vt Proauus, Abauus, &c. habeant ſub poteſtate ſua nepotes, pronepotes, abnepotes, & deinde cæteros deſcendentes, tam maſculos, quàm fœminas, per dictam lineam virilem, habetur expreſsè *in l. nepotes, ff. de his, &* §. *qui igitur*, *Inſtitut. de patria poteſtate*, ibi, *item qui ex filio tuo* (ſcilicet quem habes in tua poteſtate, vt *ibidem* notat Myſingerius) *& ex vxore eius naſcitur, ideſt nepos tuus, & neptis aquè in tua ſunt poteſtate, & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri*; ſcilicet, vt aduertit Monticulus *in d.*

*tit.*

*tit. Institut. de patria potest.* §. *ex vxore tua, num.* 4. & confirmat Bossius itidem *de patria potest. cap.* 1. *num.* 22. abnepos, trinepos, quadrinepos, si hoc vocabulo vti licet, & quilibet vlterior descendens per lineam rectam virilem.

Cur autem existentis in alterius potestate filij non sint in potestate Patris, sed in potestate eius, cuius iuri ipsemet Pater obnoxius est, insinuat vulgata regula, quòd qui ab alio possidetur alium possidere non possit, *d. l. si eueniet, ff. ad l. Iuliam de adulter.* & docent communiter Scribentes. Igitur si prædicti habent suos descendentes in potestate, poterunt circa ipsos disponere, præsertim in fauorabilibus, & multò magis in ijs, quæ eorum æternam salutem, & fidei fauorem respiciunt. 10

Neque obstat, quòd Nauarrus *cons.* 4. *tit. de conuers. infidel. par.* 1. *cap.* 3. in facti contingentia contrarium consuluerit, dicendo, non esse baptizandum nepotem petente Auo Christiano, & reluctante Matre Hebræa; quia ipsemet in calce consilii sponte fatetur, contra se fuisse decisum, vt bene aduertit etiam Paschal. *de virib. patr. potest. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Immo doctrina Nauarri omnino fauet nostræ opinioni; potissima enim ratio, qua suam sententiam roborabat, erat, quia si reluctante Matre debuisset baptizari, baptizandus fuisset etiam reluctante Patre ob paritatem rationis; sed, vt ipsemet fatetur, inuita Matre baptizatus fuit; igitur in casu nostro baptizari debent ex Nauarri doctrina, etiã inuito Patre: nam Auus præferendus est Patri ex rationibus supra allatis, cum multò magis præualeat consensus Aui contra Patrem, quàm ipsius Matris con- 11

R tra

tra Maritum; nam maior est potestas Aui in nepotem, quàm Matris in filium, maximè quia sumus in Auo fideli, cui potiùs assignari debent filii Patris infidelis, vt sequantur conditionem conuersi, tanquam magis fauorabilem animæ, & Religioni, prout in huiusmodi materia faciendum esse habetur *in cap. ex literis, de conuers. infidel.* & docet Ioseph de Abbatib. relatus per Marquard. *de Iudæis part. 3. cap. 8. col. 1. ad med.* quem sequitur Gratian. *d. cap. 977. num. 21.* vbi per totum tractat hanc materiam, præclarè respondens omnibus obiectis, & multa ad propositum casum addit omnino videnda apud ipsum. Gratianum sequuntur Paitell. *expedit. causar. exped. 66 num. 38. in annot.* & Carena *de offic. Inquisit. part. 2. tit. 14. de Iudæis, §. 20. num. 45.*

12 Ex quorum doctrina concluditur, quòd pueri, de quibus agitur, sequi debent conditionem Aui conuersi, & ad illius instantiam baptizandi sunt, non obstante contradictione Patris, cuius conditio non est sequenda, sed abominanda tanquam deterrima illorum saluti, prout in similibus casibus semper est consideranda illa conditio, quæ sit magis vtilis filiis. Gloss. *in cap. fin. de Clandestin. desponsat. & in cap. ex tenore, qui filij sint legit.* Bald. *in l. qui contra, de incest. nupt.* Paschal. *de uiribus patr. potest. part. 1. cap. 7. num. 10.* Barbatia *cons. 58. lib. 3.*

13 Denique maximì faciendum est, quòd in simili facti specie bis fuit Romæ in fauorem Aui decisum: *Primò*, tempore felicis recordat. Clemen. VIII. & Cardinalis Blanchetti Protectoris Neophytorum: *deinde*, Anno 1624. mense Iunii Vrbano VIII. Sum. Pont. Protectore Cardinale Verallo, vt asserit idem

Gra-

Gratian. *loc. cit.* Et paucis ab hinc diebus cum supradictus Hieronymus Dominicus baptismali aquâ lustratus supplicem libellum ad Sum. Pont. transmisisset, in quo petebat, nepotes suos infantes baptizari; Causa à Summo Pontif. demandata fuit Illustriss. & Reuerendiss. D. Antaldo, qui re maturiùs considerata iudicauit, huiusmodi pueros esse baptizandos, & verbo facto cum Sanctiss. S. S. Prædecessorum suorum vestigiis inhęrendo benignè annuit, vt per literas à viro omni exceptione maiori certior factus sum. Ex quibus omnibus manifestè constat, pueros, de quibus agitur, esse omnino baptizandos.

Quando autem versaremur in dubio, cur tam notabile præiudicium inferendum esset infantibus rationis vsu carentibus, negando eis baptismum, vnicum remedium salutis, quando licitè, & sine periculo errandi, stante opinione probabili, & triplici re iudicata, eis conferri potest? nec dicendum est, quòd sit grauis iniuria Parentibus, dum eis inuitis baptizantur eorum filij; nam quam existimant grauem iniuriam, esse potest maximus fauor; cum enim vexatio det intellectum, sæpe accidit, vt baptizatis filijs, & ipsi Parentes cogitent de propria salute, & Baptismum petant, vt nouissimè accidit Liburni, quando inuito Patre detentus fuit infantulus quatuor annorum oblatus ab ipsomet Patre Ecclesiæ, vt vnà cum eo baptizaretur, qui deinde mutato consilio redijt ad suos, & petebat sibi filium restitui, quo, vt iuris erat, sibi non reddito, re meliùs considerata, iterum conuolauit ad Ecclesiam, & vnà cum filio Baptismum recepit. 14

Fatendum tamen cum lacrymis est, pueros, de- 15

quibus agebatur, baptizatos non esse, quia nullibi inuenti sunt: baptizato enim Auo, nepotes solent à Parentibus Infidelibus abscondi, vel in remotissimas Regiones transmitti, ne & ipsi baptizenrur; Ideoq; operæ pretium est ipsos nepotes in tuto ponere statim ac ipse Auus se se ad Catechumenos recipit, vt & ipsi vnà cum eodem Auo, vel potiùs ante ipsum baptizentur.

16 Quæ hactenus dicta sunt, quamuis intelligi debent de Auo paterno, nihilominus locum habent etiam in Auo materno, præsertim defuncto patre nepotum; tunc enim pro eo militant eędem rationes supra adductæ: & hoc verum iudico etiam viuente, & reluctante Auo paterno; & ratio est, quia sicuti se habet Mater ad Patrem, ita se habet Auus maternus ad Auum paternum; sed Mater *ex allatis supra num.* 4. potest baptizare communes filios inuito Patre, ergo & Auus maternus potest baptizare communes nepotes inuito Auo paterno.

17 Nec vim facit obiectio, quòd nepotes sunt in potestate Aui paterni, non materni: sunt enim etiam filij in potestate Patris, non Matris, & tamen in hoc voluntas Matris voluntati Patris præfertur; ratio autem est, quia in spiritualibus patria potestas non attenditur, neque de ea curatur vtpote iure ciuili, ac positiuo inducta, cui præualet ius naturale diuinum, quale est, quod respicit fauorem fidei, & æternam salutem infantium. Et quòd in huiusmodi spiritualibus non attendatur prædicta patria potestas, testatur de communi Bossius *de patria potest. cap.* 3. *num.* 344. vbi plures allegat tum Theologos, tum Iurisperitos.

Fa-

Faciunt etiam quæ habentur *in meth.* §. 21. vbi 18
dicitur, quòd concurrentibus in eodem gradu fœminis Christianis, & masculis Hebræis præferendæ sunt fœminę masculis, & iam diximus Matrem prę-ferri Patri, ergo ex eadem doctrina Auus maternus Christianus paterno Auo Infideli præferendus est.

Immo indubitanter affirmo ( & fortasse nimis au- 19
dere videbor) Auum maternum posse baptizare nepotes, etiam viuente, & reluctante eorum patre. Suspende Amice Lector iudicium, donec assertum rationibus probetur. Probatur autem hoc medio: diximus *supra n.* 16. quòd, sicuti se habet Mater ad Patrem, ita se habet Auus maternus ad Auum paternum, ergo quod potest Auus paternus respectu filij, potest & Auus maternus respectu filiæ; sed Auus paternus potest respectu filij baptizare nepotem ex filio, ergo & Auus maternus potest respectu filiæ baptizare nepotem ex filia. Probatur, quia sicuti Auus paternus potest totum id, quod potest filius, & sic potest baptizare nepotes etiam inuita Matre, quia & hoc potest facere filius; ita Auus maternus potest facere totum id, quod potest filia, & sic potest baptizare nepotes etiam inuito Patre, quia id potest facere filia, vt ex Concil. Tolet. IV. docent communiter DD. tum Theologi, tum Canonistæ, vt probauimus *supra d. num.* 4.

Quod si neges, afferre debes rationem dispari- 20
tatis; quam esse dices, quia filij sunt in potestate Patris, non Matris, & hoc sponte concedimus: sed nihil obstat, quia in fauorem Fidei Mater potest baptizare filios etiam reluctante Patre, licèt eos non habeat in potestate, vt pluries probatum est. Ex alio igitur

ca-

capite probare debes contrarium, quod facere nequis, nisi vel ex iniuria, quæ irrogatur Patri, vel ex iniuria, quæ irrogatur Matri; neutrum dici potest, ergo. Probatur non ex iniuria, quæ irrogatur Patri, quia si Mater consentiret possent baptizari dicti nepotes etiam inuito, & reluctante Patre, vt patet ex dictis; ergo solùm ex iniuria, quæ irrogatur Matri; sed & hoc negatur, quia sicuti potest Auus paternus, vt per totam Conclusionem probauimus, baptizare nepotes, non obstante iniuria filij, sic poterit Auus maternus, non obstante iniuria filiæ.

21 Has qualescumque rationes rogo perpendant Principes, & qui Catechumenis præsunt; quas si minùs sufficientes existiment, velim meminerint, probabilem esse opinionem docentem, Infantes Infidelium baptizari posse inuitis Parentibus, vt pluribus probatum est *supra Concl. 6. num.* 19. ideoque id multò magis præstare poterunt concurrente aliqua ratione, & petente aliquo consanguineo Christiano, vt Auo, Patruo, Auia, Amita, & similibus.

22 Hìc non erit inutile adnotare, filijs Hebræorum vtroque Parente orbatis dandum esse ab Episcopo Tutorem Christianum, qui eos, si sint ante vsum rationis, statim baptizandos, & in Fide Catholica educandos curabit; si verò ratione vtantur, eos quidem ad Baptismum non coget, ipsos tamen in Fide instituet, & ad Baptismum suauibus verbis alliciet. Videatur Alex. Sperell. *in Decisionibus fori Ecclesiastici part.* 1. *decis.* 1. *à num.* 1. *vsque ad* 20. vbi hanc materiam luculenter pertractat, ac tandem concludit, se in facti contingentia Tutorem Christianum pupillis Hebræis dedisse; factumque à Supremo San-

Sanctisfimæ Inquisitionis Tribunali approbatum fuisse testatur.

Ratio autem, cur ipsis paruulis Iudæorum orphanis constituendus sit Tutor Christianus, est, vt eos, etsi nondum vsum rationis habentes, instituat in bonis moribus, in Fide, ac vera Religione, & ne Tutor Iudæus, & Infidelis erroribus falsæ Religionis imbuat. Tutor enim datur principaliter personæ pupilli propter mores, ita vt illius bonam educationem, atq; institutionē in primis curare teneatur, *l. cum plures, §. cum Tutor, ff. de administrat. Tutor. l. qui filium, l. Ius alimentorum, ff. vbi pupilli educari debeant*, & docent Montanus *tract. de tutela cap.* 4. *num.* 11. *& seqq.* & Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *de Iustitia commutat. disp.* 220. *num.*4. *vers. Præter alia*. 23

Quòd autem deputatio huiusmodi Tutoris Christiani spectet ad Iudicem Ecclesiasticum fundatur in eo, quòd orphanis Hebræis assignandus est Tutor, qui eos in fide Catholica instruat, & sic agitur de re spirituali, qualis est instructio in Fide, quam rem esse spiritualem patet, cum sit traditio doctrinæ,& cognitionis Mysteriorum, & veritatis Fidei Euangelicæ, ideoq; materia simoniç, vt tradit Less. *de Iust. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 78. Causa autem spiritualis, vel quasi spiritualis ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè spectat, *cap. tua, de ordine cognit. cap. Lator. cap. causam, qui filij sint legitimi, & Clement.* 11. *de Iudicijs*, Abbas *in cap. literas, de iurament. calumn.* Clarus §. *feudum, quæst.* 2. *num.* 9. *in fin.* 24

Sed quòd in tali casu orphanis Infidelibus licèt nondum rationis vsum habentibus, vtroque Parente, & Ascendente paterno orbatis, quibus Pater Tuto- 25

rem

rem non constituerit, dandus sit Tutor Christianus, docet etiam Bossius *de patria potest. cap.3. num.337* qui tamen *num. 338. & seq.* absolutè non concedit spectare ad Iudicem Ecclesiasticum deputare huiusmodi Tutorem. Ratio ipsius est, quia ipsa deputatio Tutoris videtur merè ciuilis, & prophana, cum detur etiam ad protectionem personæ pupilli, & administrationem bonorum eius temporalium, ad illius bonam educationem, quoad spectantia ad vitam corporalem, & quoad artes, & scientias naturales, & ad vitæ, ac morum honestatem; & non solùm ad instituendum eumdem pupillum in rebus Fidei Catholicæ; ac proinde si orphanus, seu pupillus sit subditus Iudici laico, ad ipsum priuatiuè videtur spectare datio Tutoris, regulariter loquendo; si pupillus sit Clericus ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè spectabit: de qua re Montan. *de Tutor. & Curator. cap. 2. & cap. 4.* Faber. *in Institutione de Attil. Tutor. num. 4.* & alij quos latè refert Sperell. *in d. decis. 1. num. 2. & 3.* Hæc Bossius, qui tandem concludit, ita facere expedire ad euitandum iurgia, & rixas inter Principem, seu Iudicem Laicum, & Ecclesiasticum.

26 Sed hoc parùm ad nos, sufficit enim ad rem nostrã, quòd orphanis Infidelibus deputetur Tutor Christianus, nec interest, à quo Iudice deputetur. Cauendũ tamen est, ne dum Iudices inter se de iurisdictione disputant, pupilli à Iudæis subtrahantur, sicuti vt plurimùm accidere solet. Satiùs igitur erit, interim eos in loco tuto deponere, vt suo tempore baptizentur, & penes Tutorem Christianum educentur.

27 Obseruat autem dictus Bossius *loc. cit. num. 336.* quòd

quòd quādo orphanis Hebræis, seu alterius sectæ Infidelibus non fuit constitutus Tutor à Patre, baptizari possunt, quamuis habeant Tutores siue datiuos, idest datos à Iudice, seu Synagoga, Magistratuq; Infideli, siue legitimos, idest datos à Lege, quales sunt Auus, Frater natu maior, & alij consanguinei proximiores: quod tamen procedere dicit solùm quoad Infantes Iudæorum, aliorumque Infidelium Principi Christiano subiectorum in iurisdictione temporali, non autem illorum Infidelium, qui nulli Principi Christiano subiecti sunt. Idipsum expressè tradit Hurtad. *disp.* 3. *de Bapt. diff.* 4. & post ipsum Tamburinus *de Iure Diuino lib.* 2. *de Bapt. cap.* 3. §. 2. *num.* 4. Rationem affert Bossius *loc. cit.* potest enim, inquit, Princeps, cuius iurisdictioni temporali Tutores illi subduntur, eos priuare tutela, & omni potestate in dictos Infantes, eamque sibi assumere, vel alteri Christiano dare, & consequenter ipsos Infantes baptizare, segregando tamen illos ab Infidelibus, seu Iudæis ad vitandum periculum peruersionis, vt alibi dictum est. Nec magni tunc faciendum, si Iudæi consanguinei infantium, & ipsa Iudæorum Synagoga reclamarent, nulli enim fieret iniuria, cum solùm Pater, qui in filios patriam potestatem, & ius eos instituendi, seu educandi à natura habet, & Tutores ab ipso constituti repugnare, & reclamare rationabiliter possint, quibus proinde deficientibus cessat omne impedimentum Baptismi. Quod diligenter animaduertendum est, nam si Christiani Principes in conuersione Infidelium totum id præstare velint, quod possunt, plurimos ad Portum salutis paruo labore, magno autem animarum lucro deducent,

cent, quod omninò præstare tenentur, si aliquis Christianus consanguineus infantium Infidelium eos baptizari petat.

28 Denique adnotandum, quòd quamuis dictum sit, constituendum esse Tutorem Christianum orphanis Iudæis, quando vtroque Parente orbati sunt: nihilominus idipsum procedit etiam defuncto solummodo Patre, & adhuc superstite Matre: ratio autem est, quia Mater Iudæa filiorum suorum Tutrix esse non potest, vt ex dicendis in sequenti Conclusione constabit.



CON-



# CONCLVSIO IX.

*Mater Iudæa filiorum suorum tutrix esse non potest.*



Elebrem illam quæstionem, *Vtrum Mater Iudæa filiorum suorum tutrix esse possit*, examinat, & negatiuè concludit Angelus Aretinus *loc. infra cit.* Verùm quia Andreas Barbatia Siculus contrarium consuluit, vtriusque opinionis fundamenta, ad nostram firmandam conclusionem, subnectam. 1

2 Pro negatiua igitur, nempe, quòd virile, & publicum tutelæ munus Matribus Iudæis sit prohibitum, satis esset in medium afferre textus inhibentes fœminis de iure communi tutelæ officium, *l. 2. de regul. iur. l. tutela plerumque, & l. fœmina, ff. de tutel. l. 1. & tot. tit. C. quando mulier tut. off. fun. pot.*

3 Immo quòd Mater Iudæa sit exclusa à tutelæ administratione etiam de iure nouissimo, non obstante *auth. Matri, & Auia, C. quando mulier tut. off. fun. pot.* ponderant idem Angelus Aretinus *lib. 4. Inst. tit. de except. §. præterea il 2. num. 52. vers. Ex*

*isto textu*, ex Iacobo de Beluis. *in suo Summ.* §. *ex his*, quos allegat, & sequitur Tiraquell. *de primogen. quaest. 66. num.* 17. Ignatius Salzedo ad Diaz *Practic. crimin. canonic. cap.* 22. cui titulus, Neophyti, *num.* 4. & nouissimè Gutierrez *in praxi crimin. ciuil. & canonic. quaest.* 21. *num.* 2. +

+ & Barbosa in d. auth: Matri, & Auiae n. 5.

4 Probatur autem PRIMO, quia haec tutela strictè debet interpretari; cum sit admissa contra Ius commune, & contra rationem Iuris. Idem Iacob. de Beluis. *in suo Summ. d.* §. *ex his*.

5 SECVNDO, quia lex permittens Matribus, & Auiis tutelam ad exclusionem Tutorum legitimorum habet in ventre restrictionem ad personas Orthodoxae Fidei, cum in Nouell. 118. ex qua desumpta est Auth. *Matri, & Auiae*, dicatur, *Obtinere in illis volumus, qui Catholicae Fidei sunt*. Aret. & alij ex supra cit.

6 Et comprobari potest dictae restrictionis intellectus exemplo tacitae hypothecae in dote, quae dicitur restricta ad personas Orthodoxae Fidei ex eo, quod disponitur in Auth. *Item Priuilegium*, *C. de haereticis*, vbi dicitur, *Clauduntur ijs, qui Catholicam non participant Communionem*, vt magistraliter perpenso articulo, & reiectis contrarijs decidit Rot. *recentior. par. 16. decis.* 214. *per tot.*

7 Et per consequens eò fortius procedere debet in casu praesenti praedicta restrictio, cum tutela sit concessa personis Fidei Orthodoxae, & non sit tantùm sermo de participatione Catholicae Communionis, vt *in d. decis.* 214.

8 In contrarium, nimirum pro affirmatiua, militant quae consuluit Barbatia *vol.* 1. *cons.* 15. *in* 1. *dub.*

quem

quem sequitur Marquard. *de Iudais part. 2. cap. 7. num.* 14.

PRIMO, quia in officijs statutis pro deuotis, & Fidelibus S. Matris Ecclesiæ Iudæi comprehenduntur, ex quo nobiscum pacificè viuunt, & Ecclesia in suis ritibus eos tolerat, Barbat. *d. cons.* 15. *in princ.* 9

SECVNDO, quia Iudęa habet vel de iure Mosayco, vel de iure Ciuili tutelam, Barbat. *d. cons.* 15. *num.* 1. 10

Et comprobatur per obseruantiam, quam testatur idem Barbat. *loc. cit.* adesse Bononię, nimirum quòd Matres Iudeæ tutelam filiorum suorum habeant. 11

TERTIO, quia Iudæi viuunt legibus Romanorum, Barbat. *ibid. num.* 2. 12

QVARTO, deducitur *ex eadem Nouell.* 118. scilicet, quòd vel ea loquatur tantùm de successionibus, & non de tutelis, ex illis verbis; *Hęc autem omnia, quæ de successionibus sancimus, &c.* vel si de successionibus, & tutelis sit intelligenda, censeantur posita verba subsequentia; *Obtinere in illis volumus, qui Catholicæ Fidei sunt*, ad distinctionem tantùm Hæreticorum, cum immediatè sint apposita; *In Hæreticis autem iam à nobis positas leges firmas præcipimus esse, nullam nouitatem, aut immutationem ex præsenti introducentes lege*, Barbat. *loc. cit.* 13

QVINTO, quòd Auth. *Matri, & Auia, C. quando mulier tut. off. &c.* non sit desumpta *ex §. ex his, Nouell.* 118. sed *ex vers. Hæc enim seruantes, &c. eiusdem §. ex his*, & sic non comprehendat dispositionem supra ordinatam ad fauorem Matris, & Auiæ, 14

uiæ, Barbat. *d. conf*, 15. *num.* 2.

15 Verùm, quia prima opinio validioribus apparet munita fundamentis, ab ea non est recedendum, interim respondendo ad argumenta, quæ per eumdem Barbatiam adducuntur.

16 Et *ad Primum* dicimus verba *pro deuotis, & Fidelibus S. Matris Ecclesia* accipi pro *subditis*, cum tam per verbum *Fideles*, qui vulgò *subiecti* appellantur; Caluin. *in lexicon, V. Fideles*, quàm per verbum *deuoti*, vel *deuota gentes*, intelligantur *qui parent*; idem Caluin. *in d. lex. V. deuota gentes, &c.* Barbat. *d. conf.* 15. *num.* 1. vbi *deuoti* dicuntur *subiecti.* Huiusmodi sunt Iudæi, qui subsunt Principi, vbi morantur; Formosin. *tract. crimin. part.* 2. *tit. de Iudais, quaest.* 3. *n.* 13. vnde mirum non est, quòd comprehendatur in dicta dispositione, sicut veniunt in omni dispositione communi, vel municipali proportionata, generaliter loquente; Cyriac. *contr.* 241. *n.* 17. Ciarlin. *contr.* 42. *n.* 2. Mager. *de Aduocat. Armat. cap.* 8. *n.* 264. Ricciull. *de iur. person. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 24. *& seqq. per tot.* Secus autem dicendum est quando in dispositionibus apponitur restrictio in fauorem Fidei, vt quando sunt vocatæ personæ communionem participantes Catholicam, vt *in d. decis.* 214. *part.* 16. *recent.* & eò fortiùs in casu præsenti, vbi sunt vocatæ personæ Fidei Catholicæ, vt supra dictum est.

17 Ad *Secundum* respondemus, ex nullo iure Iudæam obtinere posse tutelam; non ex iure Mosayco, cum in illo non reperiatur cautum: immo tutelam regulando secundùm ordinem successionis, Mater Iudæa de iure Mosayco non succedit filio, Ioann. Selden. *de success. ad ll. Hebraorum, cap.* 12. Rot. coram

Coc-

Coccin. *decis. 676. num.* 3. & consequenter non assequitur tutelam.

Nec de Iure Ciuili, cum ad Iudæas non extendatur tutela, sed restringatur ad personas Orthodoxæ Fidei, ibi, *Obtinere in illis volumus, qui Catholicæ Fidei sunt*, vt supra ostensum fuit. 18

Ad *Confirmationem* dicimus, quòd quicquid sit de obseruantia Bononiæ, cum sit contra ius, strictè debet interpretari; Alexand. *vol. 2. cons. 68. num. 5. & 6.* Et quòd non fiat extensio de vno loco ad alium; Alex. *ibid. num.* 19. Rot. *recent. part.* 15. *decis* 321. *num.* 11. *&* 12. Immo Doctori de consuetudine attestanti fides non adhibetur, Gregor. *decis.* 274. *num.* 5. Rot. *decis.* 93. *num.* 13. *&* 14. *part. 6. recent.* 19

Ad *Tertium* concedimus Iudæos viuere legibus Romanorum, in illis, quæ conceduntur vniuersaliter, & indefinitè; secus autem, quando leges, & priuilegia sunt impertita ad fauorem Fidei Orthodoxæ, vt de dicto priuilegio tacitæ hypothecæ dicitur *in d. decis.* 214. & in casu præsenti, vbi, sunt vocatæ personæ Catholicæ Fidei. 20

Ad *Quartum* circa primam difficultatis partem respondetur, non bene inferri; Textus loquitur de successionibus, ergo non de tutelis: ratio est, quia illa verba, cum sint posita in fine tamquam clausula totius dispositionis, debent referri ad omnia præcedentia, præcipuè quando principaliter, & de per se sunt posita, & commodissimè possunt adaptari ad omnia. Quod procedere etiam in materia odiosa, & exorbitanti, affirmat Barbos. *de claus. vsufrequent. claus.* 70. *num.* 1. *&* 3. 21

Insuper cum tutela reguletur secundùm ordinem 22

suc-

fuccefsionis, vt *in* §. *ex his*, *Auth. de hared. ab in-testat. venien.* sublata fuccefsione non poteft dari tu-tela, cum fint inter fe connexa, quia propter con-nexitatem difpofitum de vno trahitur ad aliud, Rot. coram Coccin. *decif.* 1504. *num.* 38.

23 Nec valet replicatio, refponfionem procedere, quando non fequatur contrarietas, & repugnantia, Barbof. *de Clauf. clauf.* 70. *num.* 10.

24 Et quòd repugnantia confiftat in eo, quòd Ma-tribus Iudæis eriperetur tutela, quæ aliàs de Iure Ci-uili eis competit, Barbat. *d. conf.* 15. *num.* 2.

25 Nam refpondetur negando fuppofitum, quòd ad Matres Iudæas de iure Ciuili fpectet tutela, quia fublata è medio *Nouell.* 118. non reperitur cautum de iure Ciuili, quòd Mater etiam Catholica admit-tatur ad tutelam, quando adfunt Tutores legitimi, vel datiui, fed folùm ex gratia Principis in defectu om-nium admittebatur, de qua tutela non loquitur *No-uell.* 118. vt videri poteft *l.* 2. *& tot. tit. C. quando mulier tut. off. &c.* & per confequens de iure ciuili non habent tutelam Matres, & Auiæ nifi per dictam *Nouellam* 118. & fic corruit affumptum.

Ad *fecundam argumenti partem* dicitur, quòd dif-
26 pofitio prædicta non poteft intelligi de folis Hæreti-cis, quia (vltra quòd hæreticorum nomine veniunt etiam Iudæi faltem impropriè, Fermof. *in prax. cri-min. tom.* 2. *ad tit. de Iudæis, quæft.* 1. *num.* 6. Chri-ftin. *decif. Belgic. tom.* 2. *decif.* 4. *num.* 1. *&* 2. De-cian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 1. *verf.* 2. *in fine*, vbi, quod licèt fint Hæretici non funt pu-nibiles) verbum ly *Hæreticis* tamquam fpecies po-fita poft genus non ftat caufa reftringendi genus ad
fimi-

similes, sed causa declarationis, Rot. coram Coccin. *decis.* 444. *num.* 7. & sic dispositio non est intelligenda de solis Hæreticis, sed de omnibus, qui non sunt Fidei Catholicæ.

Ad *Quintum* satis erit repetere responsionem nuper allatam, quòd illa verba, cum sint posita in fine tanquam clausula, debent referri non ad solum versiculum, *Hæc enim seruantes*, *&c.* qui est continuatiuus cum superiori dispositione, sed ad totam dispositionem, cum non sit ratio diuersitatis, Barbos. *de Clausul. claus.* 70. *num.* 3. 27

Potest etiam obijci alterum argumentum, quod deducitur ex Rot. coram Coccin. *decis.* 676. *num.* 11. vbi Mater Iudæa in filij hæreditate admittitur ad exclusionem Patrui ex Auth. *Defuncto, C. ad Tertyll.* arguendo hoc modo; Hæc Authent. desumpta est ex eadem *Nouella* 118. igitur si ad successionem, pariter & ad tutelam est admittenda Mater Iudæa. 28

Respondetur, argumentum successionis, & tutelæ procedere indistinctè in maribus, & in fœminis, Matre, & Auia, quæ aliàs succedere possunt vigore *Nouella* 118. cum inter has personas æquiparata sit successio, ac tutela, §. *ex his*, *Auth. de hared. ab intest. venien.* Negatur autem, quòd Mater Iudæa succedere possit filio per *Nouellam* 118. quia successio restricta fuit ad personas Fidei Orthodoxæ, ibi, *Hac autem omnia, qua de successionibus sancimus, obtinere in illis volumus, qui Catholica Fidei sunt*, vt dictum est supra. Vnde conclusio Coccini *in d. decis.* 676. *num.* 15. quòd Mater succedat filio ad exclusionem Patrui, procedit non vigore *Authent. Defuncto, C.* 29

*ad Tertyll.* vt ibi adnotatur, ſed vigore *l. 7. C. eod.* Verba *d. l. 7.* ſunt hæc. *Patruo ſcilicet mortui, vel mortua, & eius filio, vel nepote nullum ius ad eius hareditatem (Matre eius harede exiſtente) habentibus: nec ex veteribus legibus, nec ex conſtitutionibus partem Matris minus.* Auth. vero *Defuncto, C. ad Tertyll.* diſponit de ſucceſſione Matris vnà cum Patre in hæreditate filij, & ſic non eſt caſus deciſionis, vt animaduertit Salicetus, & DD. *in combinatione l. 2. & Auth. Defuncto, C. ad Tertyll.* Quia per *l. 2. C. ad Tertyll.* Pater excludebat Matrem in hæreditate filij, & per *d. Auth. Defuncto* ſuccedunt æqualiter. Ex quibus conſtat deciſionem Coccini procedere, ſed ex diuerſa auctoritate, vt dictum eſt. Itaque cum Mater Hebræa conſequi non poſsit ſucceſsionem vigore *Nouella* 118. nequit etiam tutelam nanciſci; ideoque ſolutis omnibus contrariis reſtat firma, & inconcuſſa noſtra concluſio, quòd Mater Iudæa filiorum ſuorum tutelam aſſequi non poſsit.

30 Verùm ſiquis adhuc in ancipiti verſaretur opinione, ab omni dubitandi ſcrupulo eſſet remouendus, quando ſuper tutela contenderent Agnatus Chriſtianus, & Mater Iudæa; quo caſu adiudicandum eſt tutelæ munus ad fauorem Agnati Chriſtiani, Tum ex motiuo ęquitatis Hebręis denegandę, quando cum æquitate ſcripta ad fauorem Iudæi concurrit rigor ſcriptus qui aſsiſtit Chriſtiano; nã tunc Iudæi iudicandi ſunt ſecundum rigorem, vt in ſimili de priuilegio deducto *ex l. maritum, ff. ſolut. matrim.* quod non prodeſſe marito Hebræo contra vxorem Chriſtianam

ani-

animaduertit Ricciull. *de iur. personar. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 7. *&* 8. quem sequitur Scannarol. *de visitat. carcerat. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12.

Et eò magis procedit conclusio, quando æquitas non est scripta in Iure, vt in præsenti casu; quia licèt ad fauorem Matris, & Auiæ sit ordinata tutela, non tamen reperitur scripta ad fauorem Matris Iudçæ, nam oppositum fuisse determinatum supra probauimus: quo casu Iudæos iudicandos esse secundum rigorem firmat Ricciull. *loc. cit. num.* 10. Scannarol. *ibid. num.* 10. 31

Tum ex fauore Fidei, qui est amplissimus, *cap. in fidei fauorem, de Hæretic.* 6. Gratian. *discept.* 977. *num.* 22. 32

Et videmus, quòd licèt Mater non teneatur dotare filiam, nisi in subsidium, si filia effecta fuerit Christiana, tenetur Mater dotem dare, etiamsi Pater sit diues, vt maior exhibeatur fauor ei, qui ad Fidem est conuersus, Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 4. *num.* 3. *&* 4. Item licèt statutum excludat fœminas stantibus masculis, non procedit in Iudæa ad Fidem conuersa, quæ potest petere assignationem legitimæ, Patre etiam viuente, Merlin. *de legitima lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 7. *in fine*. 33

Multa enim conceduntur à Iure inter ipsos Hebræos, quæ denegantur, si res agatur cum Christianis, vt exempla congerit Freundemberg *de rescript. morator. tit.* 7. *conclus.* 19. *num.* 8. 17. *&* 50. 34

Tum denique attento particulari fauore ipsius Pupilli, cui magis expedit habere Tutorem Christianum, à quo, si sit ante vsum rationis, statim of- 35

ferretur Baptiſmo, *vt in Concluſ. antecedenti num.* 22. dictum eſt; ſi verò ratione vtatur, de facili poterit in Catholica Religione inſtrui, cum ex aſſidua conuerſatione, & familiaritate Pupilli Tutorum mores accipiant, ijſque ſe imbuant, Gregor. Toloſan. *Syntagm. Iur. vniu. part. 2. lib. 12. capit. 4. num. 9.*



CON-



# CONCLVSIO X.

*Infidelis coniugatus ad fidem conuersus post debitam monitionem factam alteri Coniugi in infidelitate relicto, an velit & ipse Christianus fieri, illo renuente, potest transire ad secundas nuptias; si verò non transeat, coniuxque Infidelis iterum nubat, ac postea, & ipse conuertatur, debet secundo coniuge, licèt conuerso, relicto ad primum redire.*



ANtequam nostram hanc Conclusionem probemus.

Prænotandum est *Primò*, coniugem ad fidem conuersum nullo vnquam tempore obligatum fuisse ad cohabitandum cum Infideli, semperque potuisse ab eo diuertere, quamuis Infidelis vellet cohabitare absque contumelia Creatoris, hoc est, sine pertractione fidelis ad peccatum; nec contrarium suadent verba D. Pauli 1. ad Corinth. *Siquis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & siqua mulier, &c.* quia hæc verba inducere consilium, non præceptum innuunt antecedentia verba eiusdem Apostoli; *Ego* 1

*dico*

*dico, non Dominus*, vt pluribus relatis, & contrarijs reiectis latè probat Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 73. num. 7.* Vnde constat, quòd tempore D. Pauli poterat quidem conuersus ad fidem cohabitare cum coniuge infideli, sed non tenebatur.

2 Hodie verò nec tenetur, nec potest alteruter coniux ad fidem conuersus permanere in consortio coniugis infidelis, sed tenetur ab eo nolente ad fidem conuerti diuertere, etiamsi vellet absque Creatoris contumelia cohabitare, & hoc siue ex consuetudine Ecclesiæ, siue ex præcepto: & fauet Decretum Concilij Toletani IV. *c. 62.* relatum *cap. Iudæi 28. quæst. 1.* vbi decernitur, vt vxores Iudæorum ab ipsis separentur, nisi ab Episcopo admoniti Iudæi fidem suscipere voluerint. Nec obstant diuersæ expositiones, quas tradit Glossa *ibi V. Iudæi*, quas bene distinguendo diuersa tempora nunc non admittit Sanch. *loc. cit. num.* 11. & 12. Hanc sententiam docent, D. Thom. *In 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 3. ad 2.* D. Bonau. *ibi in expositione literæ, num. 2.* Durand. *quæst. 2. num. 11.* Ricard. *art. 2. quæst. 1.* Maior *quæst. vnic. col. 2. vers. Fortè dicis*; & alij innumeri, quos refert, & sequitur idem Sanch. *num. 12.*

3 Fortasse poterit aliquando Episcopus dispensare ad breue tempus in dicta cohabitatione, in domo tamen fidelis, quando spes probabilis adesset fore, vt infidelis conuerteretur, & nullum subesset periculum subuersionis; nam in hoc casu licitum esse cohabitare docent Palacios *in 4. dist. 39. disp. vnic. col. penult. vers. Arbitror autem*, & Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 59. art. 3. in fin.* quorum sententiam non improbat Sanch. *loc. cit. num. 13.*

& ha-

& habetur supra *in Meth.* §. *15.*

Prænotandum *Secundò,* matrimonium Infidelium quantumuis consumatum posse dissolui, si altero Coniuge ad fidem conuerso alter pertinax sit in infidelitate, & hæc conclusio est adeo certa, vt de ea dubitari non posse absque manifesto errore in fide asserant DD. communiter, qui tamen non conueniniunt quo iure dissoluatur. Sed quamuis aliqui asserant dissolui iure Pontificio, Ecclesia sic interpretante ius diuinum de matrimonij indissolubilitate; Abbas *in cap. Quantò, num.* 5. *de diuort.* & ibi Alexand. *num.* 9. Præposit. *in fin.* Palud. *in* 4. *dist.* 49. *quæst. vnic. art.* 2. *n.* 12. Nihilominus dicendum est dissolui ex priuilegio Christi id in fidei fauorem concedentis, aliàs grauissimum onus esset, & suauitati iugi Christi minimè consentaneum, Neophytos imperfectos, & in fide Christiana tyrunculos obligare ad perfectam castitatem, ex quo multùm deterrerentur Infideles à conuersione, si fide suscepta vitam cælibem ducere cogerentur, nec possent periculo incontinentiæ succurrere contrahendo aliud matrimonium. Ita ex verbis D. Pauli 1. *ad Corinth.* 7. docent Sot. *in* 4. *dist.* 39. *art.* 4. *quæst. vnic. col.* 3. *&* 5. Veracr. 2. *part. Speculi, art.* 28. *concl.* 2. Enriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 8. *num.* 4. & iterum *lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 5. Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.* 59. *art.* 5. *conclus.* 4. Gallego *de cognat. spiritual. cap.* 3. *num.* 51. Lud. Lop. 2. *part. Instruct. cap.* 53. *de matrim. col.* 4. & alij quamplures. 4

Prænotandum *Tertiò* ex Sanch. *lib.* 7. *disput.* 74. *num.* 11. *& seq.* ad dissolutionem prædicti matrimonij non requiri sententiam Iudicis, sed sufficere mo- 5

ni-

nitionem Infideli factam, an velit, & ipse conuerti, eamque non esse necessariam, si aliunde constet de eius pertinacia, vel Infidelis tam longè distet, vt moneri non possit, in quo casu vice monitionis requiri dispensationem Summi Pontificis docet contra Sanch. Pontius *lib.* 7. *de matrim. cap.* 48. *num.* 22. Verùm consultius est, quod aliquibus in locis, & hìc Florentiæ seruatur, hanc monitionem iuridicè fieri, assignato Infideli aliquo termino ad suam declarandam voluntatem, quo elapso conceditur licentia coniugi fideli ad alias nuptias transeundi, & hic modus est tutior, & conuenit cum Decreto Concilij Tolet. IV. supra relati, vbi supponitur Infideles monendos esse per Episcopos.

6 His prænotatis explicandum superest, quando nam prædictum matrimonium dissoluatur. In qua difficultate, quamuis dissentiant DD. dicendum tamen est non dissolui statim ac alter coniux conuersus est ad fidem, vt sentiunt aliqui; nec quando Infidelis monitus conuerti renuit, vt dixerunt alij; sed solùm quando fidelis transit ad secundas nuptias. D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 5. Palud. *ibidem quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 3. Turrecrem. *in cap. simili modo* 28. *quæst.* 1. *ad* 2. *argum.* Syluest. *V. matrimonium* 8. *quæst.* 10. *cas.* 6. Sot. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 4. Armilla *V. matrimonium, num.* 39. Valentia *tom.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 1. *p.* 7. *lit. E. vers. Notanda*, Pontius *lib.* 7. *disp.* 48. *num.* 17. & Sanch. *lib.* 7. *disp.* 75. *num.* 4. vbi contrariis plenissimè respondet.

7 Præcipuum autem, & vnicum, ac firmissimum huius sententiæ fundamentum est, quia Innocentius III. *in cap. Gaudemus*, inquit; *Quòd si conuer-*

*sum*

*sum ad fidem & illa conuersa sequatur, antequam legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compellatur.* Ex quibus verbis necessariò deducitur hæc consequentia, si ergo compellitur recipere, non erat solutum prius matrimonium. Vnde fallitur Glossa *in d. cap. Gaudemus*, vbi respondet, licèt matrimonium sit solutum, restitui tamen iure Postliminij in fauorem fidei, quam meritò reijcit Ricard. *in 4. dist. 39. art. 2. quæst. 25.* quia matrimonium dici non potest Postliminio redire, cum eius essentia ex consensu pendeat contrahentium, vt bene obseruat Pontius *d. disp. 48. num. 18.*

Fundamentum contrariæ sententiæ, quam defendunt Panormitan. *in cap. Quanto, de diuortio, num. 6. & 7. & in cap. Gaudemus, eodem tit. num. 15.* Hostiens. *in d. cap. Quanto*, Ricard. *in 4. dist. 39. art. 2. quæst. 25.* Angelus, *V. matrimonium 111. num. 3.* & alij apud Pontium *loc. cit. num. 16.* deducitur *ex cap. Infidelis 28. quæst. 2.* illis verbis, *Contumelia quippe Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur.* 8

At difficile non est huiusmodi fundamentum diluere; non enim nostræ sententiæ aduersatur Canon *Infidelis*: nam præterquamquod omnino reijcienda non est quorumdam interpretatio, qui verba illa, *soluit ius*, intelligenda dicunt de solutione thori, ac domicilij; animaduertunt enim in Canone non dici solui vinculum matrimonij, sed ius, scilicet vtendi matrimonio; negare vtique non possumus, illam legitimam esse interpretationem, quæ dicit, *soluit ius*, idest, iustam causam dissolutioni præbet, & sic facit causalem enunciationem, ita vt illa vna, *idest cau-* 9

V *sa*,

*ſa*, cum matrimonio, quod conſequitur, & nec illa ſine matrimonio, neque matrimonium ſecundum ſine illa, primum diſſoluat. Adeò autem neceſsarium eſt, inquit Pontius *loc. cit. num.* 19. ſecundum matrimonium initum aliqua ſubſiſtente cauſa ad præcedens vinculum dirimendum, vt aliter reſcindi nequeat vllo pacto.

10 Cæterùm quicquid ſit de tempore diſsolutionis prioris matrimonij communis, & vera ſententia eſt, in quam etiam contrarij conueniunt, coniugem infidelem, qui fidelem coniugem ſequi noluit, non poſse nouum matrimonium inire, antequam coniux fidelis ad ſecunda vota tranſierit: ſi verò Matrimonium de facto ineat, ac poſtmodum ad fidem conuertatur, erit à ſecundo coniuge licèt conuerſo ſeparandus, & alteri coniugi priùs conuerſo reſtituendus; quia priuilegium diſsoluendi antecedens matrimonium per nuptias ſequentes conceſſum eſt à Chriſto non infideli, ſed fideli in fauorem fidei, vt expreſsè habetur *cap. Quanto, de diuortio*, & *cap. fin.* 28. *quaſt.* 2. & docent Ricard. Altiſiodor. Nauarr. Sot. Ouand. Abulenſ. Enriq. Veracr. & Petrus de Ledeſm. quos refert, & ſequitur Sanch. *d. diſp.* 75. *num.* 6. & poſt ipſum Candidus *diſquiſit.* 28. *art.* 7. *dub.* 13. Leand. *part.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 12. *quaſt.* 19. vbi teſtatur de communi, contra vnum Palacios *in* 4. *diſt.* 39. *diſp. vnic. ad fin.* opinantem, infidelem poſſe contrahere matrimonium ante ſecundas nuptias fidelis, quatenus dicit, eorum matrimonium diſſolui, quando alterutet ſiue fidelis, ſiue infidelis tranſit ad aliud matrimonium, cuius opinionem tanquam improbabilem meritò omnes reijciunt.

Immo

Immo Pontius *loc. cit. num.* 26. asserit Infidelem non posse contrahere aliud matrimonium etiam post secundas nuptias fidelis, quoadusque, & ipse conuertatur, idque in pœnam iniuriç, qua Deum ipsum, veram fidem, & veritatem Sacramenti Matrimonii afficit, sequi renuens coniugem fidelem, quam pœnam non Ecclesia, sed Deus infligit, & Ecclesia est talis pęnæ solùm promulgatrix. Idem docuerant ante Pontium D. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 5. *ad* 3. Sotus *ead. dist. quæst. vnic. art.* 4. Ledesma *dub.* 56. *de matrim.* Vega *tom.* 1. *cap.* 13. *casu* 15. *& tom.* 2. *cap.* 14. *casu* 146. & alij quos refert Leand. *loc. cit. quæst.* 20. & licèt non sequatur, eorum sententiam dicit probabilissimam. 11

Contrarium tamen mordicus defendit Sanch. *lib.* 7. *disp.* 77. *per tot.* vbi docet, dissoluto matrimonio priori, siue per secundas nuptias fidelis, siue per professionem in Religione, de qua infra, liberum esse infideli contrahere aliud matrimonium, & id pluribus rationibus probat. Idem alios referendo docet Castropal. *disp.* 3. *de sponsal. pun.* 2. §. 3. *num.* 14. & Gaspar Hurtad. *disp.* 8. *difficul.* 13 *in fin.* & fauet Gloss. *in cap. fin.* 28. *quæst.* 2. *V. & in matrimonium*. Huic opinioni adhęrendum censeo, cum contraria nullo iure, nullaue efficaci ratione probetur. 12

Ex quibus omnibus manifestè resultat inualiditas secundi matrimonij, ex eo præcipuè, quod prius matrimonium non erat dissolutum, vel si erat dissolutum, vt volunt aliqui, erat in fauorem fidelis tantùm, non & infidelis, vt probauimus supra; ideoque tenetur secunda vxore relicta ad primam redire, ex communi Theologorum, & Canonistarum sen-

tentia; idque clarius est, quàm vt maiori probatione indigeat.

13 Ex dictis infertur 1. quamuis Ecclesiæ sententia intercesserit, declarans liberum esse fidelem ad aliud matrimonium ineundum, adhuc per illam sententiam non dirimi prius matrimonium, donec conuersus ad alias nuptias transierit; quia illa sententia Ecclesiæ matrimonium non dirimit, sed solùm declarat ius dirimendi competens fideli. Ita ex Soto *in 4. distinct. 39. quæst. vnic. art. 4. col. 6. vers. Nihilominus*, docet Sanch. *lib. 7. disp. 75. num. 5.*

14 Infertur 2. coniugem conuersum non posse nec licitè, nec validè ad secundas nuptias transire, antequam moneatur infidelis, vel aliunde constet eius pertinacia. Ita tenet communis sententia ex D. Thom. *in 4. dist. 39. quæst. vnic. art. 5.* quia cum gratia non destruat naturam, iniquum esset sine culpa alterius coniugis, qui si requireretur fortasse sanctificaretur, priorem contractum dissolui. Sanch. *lib. 7. disp. 74. num. 12.* Pontius *lib. 7. de matrim. disp. 48. num. 20.*

15 Infertur 3. Coniugem fidelem non posse ad secundas nuptias transire, si antequam conuerteretur, esset separatus à suo coniuge propter adulterium à se commissum, quia tunc cessaret causa priuilegij concessi coniugi fideli, quæ est, ne propter fidem susceptam cogeretur cum periculo incontinentiæ vitam cęlibem ducere; in hoc enim casu talis obligatio viuendi in cęlibatu non proueniret ex fide suscepta, sed ex adulterio ante fidem commisso. Sanch. *loc. cit. num. 5.*

16 Infertur 4. dictum coniugem fidelem posse transire ad secundas nuptias, etiamsi alter coniux monitus respondeat, velle se cohabitare absque contumelia

Crea

Creatoris, quia cum hodie non liceat talis cohabitatio, non est cogendus sine sua culpa viuere in perpetuo cęlibatu, vt dictum est, & docent Conink *disp.* 26. *dub.* 5. *num.* 62. Rebell. 1. *part. de obligat. iust. lib.* 3. *quæst.* 10. *sect.* 2. & alij ferè communiter, quamuis contrarium contendit probare Castropal. *disp.* 3. *de sponsal. pun.* 2. *num.* 9. cum alijs apud ipsum.

17 Infertur 5. si Infidelis conuertatur, antequam coniux aliud matrimonium inierit, tenebitur fidelis eum in coniugem recipere, nec tunc opus erit nouo consensu ad præcedens matrimonium instaurandum, cum nondum fuerit dissolutum. Syluest. *V. matrimonium* 8. *quæst.* 10. *dict.* 6. quod si infidelis post alterius coniugis conuersionem aliud matrimonium inierit, vel adulterium commiserit, ac deinde conuertatur, poterit quidem coniux fidelis eum non recipere, sed neuter poterit alteri nubere; sic habetur expressè *cap. Gaudemus, de diuort. in fin.* & docet Abulens. 1. *Reg.* 8. *quæst.* 55. *&* 127. Barth. à Ledesma *de matrim. dub.* 56. *concl.* 4. Vega in Summa *tom.* 1. *cap.* 13. *cas.* 15.

18 Infertur 6. inualidum esse matrimonium infidelis altero coniuge ad fidem conuerso contractum, antequam fidelis ad secundas nuptias transiret: quia prius matrimonium non est dissolutum; vel si est dissolutum, vt volunt aliqui, est dissolutum in fauorem fidelis, non infidelis, vt probauimus *supra num.* 10.

19 Infertur 7. si infidelis de facto matrimonium contraxit, ac deinde ad fidem conuertatur, antequam fidelis coniux secundum matrimonium inierit, tenebitur secundo coniuge relicto ad primum redire, & si prior eum repellat propter adulterium, vterq; manebit innuptus.

In-

20 Infertur 8. si fidelis matrimoniū contrahat, & secundus coniux premoriatur, si deinde infidelis quoq; conuertatur, & ipse etiā sit liber, poterunt quidē inter se iterum matrimoniū contrahere, sed non tenebuntur, quia per secundas nuptias fidelis erat prius matrimoniū verè dissolutū, & obligatio semel extincta non reuiuiscit, & sic poterit vterq; cui maluerit nubere: & si infidelis iam in infidelitate nupsisset, licèt inualidè iuxta predicta, poterit cum eadem, si & ipsa conuersa sit, & nullum obstet impedimentū, verum matrimoniū inire in forma Ecclesię consueta, & hęc vera est sententia, quam cum Abulens. docet Sanch. *loc.cit.disp.75.n.*10. contra Innocēt. Hostiēs. & Io: Andream *in cap. Gaudemus*, *n.* 15. qui volunt ad primum matrimonium teneri redire.

21 Hìc nō inutilis suboritur quęstio; an sicuti per secundas nuptias fidelis dissoluitur matrimonium, dissoluatur etiam per susceptionem Ordinis sacri, & per professionem Religionis.

22 Conuersū ad fidē posse vtrumq; agere, nullus est, qui neget; sicuti .n. post monitionē coniugi infideli factā potest matrimoniū carnale contrahere, multò magis spirituale, quia tāquā innocēs potest quēcunq; statū eligere.

23 Difficultas est; an per huiusmodi status electionē prioris matrimonij vinculū dissoluatur. Et quidem dicendū videtur non dissolui, quia nullibi reperitur priuilegiū à Christo concessum, quòd matrimonium validū etiam ante Baptismū consummatū possit per electionē dictorū statuū dissolui. Ita docent plures, & graues DD. quos sequitur Castrop. *disp.3.de spons.pun.*2 §.3.*n.*11.*&* 12.

24 Nihilominus quoad Professionē Religionis veriorē puto contrariā sententiā, quam defendit Sanch. *loc. cit. disp.*77. *n.*1. & adest potissima ratio; constat .n. fortius, & efficacius vinculū esse matrimonium ratum fidelium,

quàm

quàm consummatũ infideliũ, cũ illud sit non solùm cõtractus ciuilis, sed etiã Sacramentũ: dum ergo per professionem religiosam dissoluitur illud, multò magis & istud, *argum. text. in l. de accusat.* 14. *ff. de diuort. & temp.præscript.* qui enim vincit vincentẽ vincit victum.

Conueniunt tamen vnanimi consensu DD. etiã contrariæ sententiæ, quòd si coniux infidelis & ipse conuertatur, non est ei restituendus alter coniux, qui vel Religionẽ professus est, vel Ordinẽ sacrum suscepit, vel etiã votũ castitatis simplex emisit, inquit Tamburin. *de Iure diu. lib.*8. *tr.*5. *de matr. cap.*5. §.3. *n.*15. & cõsequenter non poterit aliud matrimoniũ contrahere, aut saltem nisi post emissam professionem, vt dictum est, quam tamen emittere non poterit postquam alter conuersus est, sed tenebitur relicta Religione ad eum redire, nisi fortè adulteriũ commisisset; in hoc enim casu posset professionem emittere, nec tamen dissolueretur matrimoniũ, sicuti non dissoluitur initum inter fideles, quando facto diuortio ob adulteriũ innocens in Religione profitetur. 25

At si infidelis conuertatur post votũ simplex castitatis ab altero coniuge emissum, satiùs erit, si cum eis per Episcopũ dispensetur ad cohabitandũ, & debitum coniugale petendũ, propter periculũ incontinentiæ vtriusque. Quòd si infidelis post Ordinẽ sacrũ à coniuge fideli susceptum, vel votum simplex castitatis ab eo emissum nupserit in infidelitate inualidè nupsit, ideoq; conuersus separandus erit: secus si nupsit post secundũ matrimonium fidelis, vt pluries dictum est, vel post eius Professionem validè emissam in Religione, vt contra Castrop. & alios probauimus *n.* 23. 26

Deniq; dubitari potest; an quando infideles cõuertuntur ad fidem eorũ matrimoniũ fiat Sacramentũ.

Plures sunt DD. qui asserunt fieri Sacramentum, sed 27

non

non conueniunt inter se, quando nam id sequatur. Putant aliqui fieri Sacramentum, gratiámq; conferre, dum infideles baptizantur, nec requiri, quòd inuicem præstent nouum consensum; DD. id sentientes refert, & sequitur Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 9. n. 5.*

28 Alij docent tunc effici Sacramentũ, quando suscepto Baptismo præbent nouum consensum, vel antiquũ ratificant aliquo externo signo, vt per verba, nutus, aut copulã maritalẽ. Ita Bonac. Villalob. Layman, & alij quos sequitur Trullench *lib. 7. cap. 3. dub. 4. n.* 8. Vtriq; suam sententiam pluribus rationibus confirmant, & quidem probabiliter.

29 At probabilius est, matrimoniũ infideliũ nunquam fieri Sacramentum, etiamsi baptizentur, quia matrimonium, vt Sacramentum, essentialiter est contractus inter Christianos initus; noui autẽ Christiani nullum valent inire contractũ matrimonij; cum per huiusmodi contractum mutua tradatur corporum potestas; neuter autem ipsorum habet ampliùs sui corporis potestatẽ, cum sibi mutuò ante tradiderint in infidelitate: sicuti ergo nõ reperitur nouus contractus, ita nec vera ratio Sacramenti ex defectu materię, & formę, sine quibus stare nõ potest.

30 Nec dici potest, quòd sufficiat pro materia, & forma continuatio, siue renouatio primę traditionis; nam si hoc verum esset, Matrimonij Sacramentũ millies inter Christianos iterari posset, & tamen certum est vtroque coniuge viuente non posse iterari; non quia per se non sit iterabile, vt ex Triden. *sess. 7. can. 9.* ergo solùm ex defectu materiæ, & formæ. Hanc opinionem tuentur Vasquez *tom. 2. in 3. par. disp. 128. cap. 5. & tom. 4. disp. 2. de matr. cap. 10.* Conink *disp. 24. dub. 2. n. 25.* Pontius *lib. 1. cap. 9. n. 8. & seq.* Castrop. *disp. 2. p. 2. n. 14.* Dian. *part. 3. tr. 4. res. 253. & 255.* Hurtad. *disp. 3. diff. 16.* & alij apud ipsos.



# CONCLVSIO XI.

*Iudæi non possunt bona stabilia possidere in terris Christianis Principibus subiectis, nisi aliter ferat consuetudo locorum.*



Vamuis inspecta Iuris communis censura Iudæi possint etiam apud Christianos bona stabilia possidere, vt constat *ex cap. Iudæi* 2. vbi Abbas *ante num.* 3. *ex cap. multorum, de Iudæis, ex cap. quanto, in fine, de vsuris, & in cap. de terris, de decimis*, & vtrobique DD. & signanter Abbas, ibi, *sub num.* 4. & hic, *sub num.* 1. Innocent. *in cap. Quod super, sub num.* 4. *de voto*, Ancharan. *inter consil.* Calderin. *cons.* 3. *tit. Locati*, Roman. *consil.* 489. Barbos. *in Collect. Decretal. tom.* 3. *tit.* 6. *ad Text. in cap. Iudæi* 5. *de Iudæis, & Saracen. num.* 5. & alij apud ipsum. 1

2 Immo quòd possint acquirere bona etiam per viam præscriptionis, dummodo non sint bona Ecclesiastica, Glosſ. *in cap. Porro* 15. *quæst.* 3. Roman. *d. cons.* 489. *num.* 3. Iason. *in rubric. de Iustit & Iur. num.* 10. Et quòd possint habere etiam bona Ecclesiastica in emphyteusim, docet idem Ancharan. *loc.*

 *cit.*

*cit. conf. 1. d. de iudic.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. quæst. 7. art. 8.*

3 Nihilominus id eis omnino vetitum est à felic. recordat. Paulo IV. Summo Pontif. in sua Constitutione *sub die 12. Iulij* 1555. quæ incipit, *Cum nimis absurdum*, & in Bullario *tom. 1. est 3.* in ordine Constitutionum præfati Pontificis, in qua inter cætera prohibet Iudæis bona stabilia possidere, & plures habere Synagogas in eodem loco, quinimmo iubet, vt bona tunc temporis per eosdem possessa Christianis vendant, & omnes eorum Synagogas præter vnam deuastent, ac demoliantur, nec aliam de nouo constituant, vt expressè habetur § 2. *præfata Constitutionis*, quæ licèt loquatur de Hebræis tantùm in Statu Ecclesiastico commorantibus, fuit tamen extensa ad omnes alios, vt ex dicendis patebit.


4 Neque obstat, quòd Pius IV. eius Successor rigorem præfatæ Constitutionis mitigauerit alia sua Constitutione *sub die 27. Februarij* 1562. quæ incipit. *Dudum*, prout in Bullario *tom. 2. Constit. 48. in ordine*, in qua Summus Pontifex concedit Hebræis, vt vltra domos suarum habitationum in clausura existentes alias acquirere, & retinere possint, nec non bona stabilia, seu prædia tam in Ciuitate, quàm extra vsque ad valorem mille, & quingentorum ducatorum auri, cum ampla facultate bona ipsa Christianis, & colonis etiam partiariis, vel sub certa annua pensione locandi, vt videre est §. 2. *dicta Constitutionis*.

5 Non obstat inquam, quia Summus Pontifex, & nunc Beatus Pius V. eiusdem Pij IV. successor, omnino re-

reuocauit facultates à Prædecessore suo Hebræis concessas, & in specie facultatem possidendi bona stabilia, prout in sua Constitutione *sub die* 17. *April.* 1566. quæ incipit. *Romanus Pontifex*, in Bullario *to.* 2. *Constit.* 6. *in ordine*, in qua approbando, innouando, confirmando, & extendendo ad vniuersum Orbem Christianum Constitutionem Pauli IV. mandauit in virtute S. Obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, vt in Ciuitatibus, & Diœcesibus propriis suam Constitutionem publicari, & obseruari facerent. Et insuper rogauit, requisiuit, & obsecrauit omnes Principes seculares, vt omnibus eisdem Patriarchis, Archiepiscopis assisterent, & suum fauorem, & auxilium pro obseruantia præstarent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficerent, vt habetur §. 2. 4. & 5. *cit. Constitutionis*.

Quas Constitutiones prædictas Pauli IV. & Pij V. confirmauit, & innouauit, illisque perpetuæ, inuiolabilis, & inconcussæ firmitatis robur adiecit Clemens VIII. in sua Constitutione *sub die* 1. *Martij* 1593. quæ incipit. *Cæca, & obdurata Hebræorum perfidia*, & in Bullario *tom.* 3. est 19. *in ordine*: & de earumdem obseruantia testari videtur Gratian. *discept. forens. cap.* 658. *per totum*, *præcipuè num.* 40. 6

Negari tamen non potest, eas aliquibus in locis vel non fuisse vsu receptas, vel per contrariam consuetudinem abrogatas. 7



# CONCLVSIO XII.

*Multa sunt, in quibus Christianis non licet cum Iudæis communicare.*

1 RO coronide huius opusculi libet hic apponere ea omnia, in quibus non solum Neophytis, sed etiam Christianis antiquis non licet cum Iudęis communicare, cum id sit eis iure Ecclesiastico interdictum. Sunt autem sequentia.

PRIMO. cum ijs habitare.

SECVNDO. eorum azimis vesci.

TERTIO. Iudæis Medicis vti.

QVARTO. ab eisdem medicamenta accipere.

QVINTO. cum ipsis simul se in balneo lauare.

SEXTO. eos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere, *adde* Synagogas, choreas, & alias eorum solemnitates adire.

SEPTIMO. ijsdem legata in testamento relinquere.

OCTAVO. esse obstetrices, aut nutrices eorum.

NONO. eorum esse mancipium.

DECIMO. in eorum domibus famulari.

2 VNDECIMO. eosdem publicis officijs præficere.

*Ita*

Ita *tot. tit. de Iudæis, & cap. nullus, & cap. omnes 28. quæst.* 1. Quas omnes actiones fusè explicat Castropal. *par.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 9. & duæ vltimæ interdicuntur, non solùm quoad Iudæos, sed etiam quoad alios Infideles; vt patet *ex cap. Iudæi 2. de Iudæis, cap. cum sit, cap. ex speciali, de Iudæis*, quibus addi possunt sequentia generaliter prohibita.

DVODECIMO. Lignamina, vel victualia, vel arma, &c. ad Christiani nominis hostes deferre *in Bulla Cœnæ*. Sed quoad victualia asserit cum alijs Leand. *par.* 4. *de Censuris, tract.* 3. *quæst.* 43. non esse prohibitum ea deferre ad infideles, nisi eo tempore, quo moraliter loquendo in prudentis existimatione censeatur, inseruire hæc eis posse ad oppugnandos Christianos. 3

DECIMOTERTIO. matrimonia cum infidelibus inire *in diuersis Concilijs*. 4

DECIMOQVARTO. De rebus Fidei disputare *cap. quicunq; §. inhibemus, de Hæretic. in 6.* vbi apponitur pœna excommunicationis, ferendæ tamen sententiæ, contra laicas personas de Fide Catholica publicè, vel priuatè disputantes; quæ prohibitio, quamuis Textus absolutè loquatur, præcipuè intelligi debet de ea disputatione, quæ fit cum Hæreticis, & Infidelibus.

Ex verbis huius prohibitionis patet non comprehendi Clericos etiam primæ tonsuræ; qui tamen, si indocti sint, peccabunt mortaliter contra præceptum naturale, vt indoctus de Fidei dogmatibus non disputet propter periculum errandi, & decipiendi simplices; è contra non peccabit Laicus doctus, immo tenebitur aliquando, vt si sollicitetur ab Hæretico, 5

illum

illum disputando confutare, iniuriamq; ab Ecclesia repellere, vt fatetur ex Aragon. Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 6. *num.* 17. & fauet Gloss. *in pracit cap. quicunque* 88. *dist.* 6. quæ pro *Laicis* intelligit *illiteratos*; & adest etiam potissima ratio, scilicet, quòd in hoc casu cessat finis prohibitionis, & probabile est, cessante fine legis in casu particulari cessare legem. Ita etiam pluribus relatis docet *in suis Positionibus selectis*, *quæst*. 8. *coroll.* 4. Excellentiss. D. Franciscus Verde S. T. & I.V.D. necnon in Neapolitano Gymnasio Sacrorum Canonum Professor verè Regius, qui *in sua Anacephaleosi de opinion. prohibit.* meipsum, meumq; Enchiridium exagerata nimiùm laude vltra meritum extollere dignatus est *pluribus in locis*, præsertim *tit.* 15. §. 7.

Quæri hìc potest, quodnam peccatum sit in omnibus supradictis cum Iudæis, cæterisque Infidelibus communicare.

6 Prænotandum est, præfatas prohibitiones, ne Christiani vtantur balneo, conuiuio, &c. cum Iudæis, intelligendas esse, quando formaliter, vt socij cum ipsis conueniunt, non autem si per accidens, & præter intentionem, vt bene notat ex Sanchez Layman. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 17. *vers. Altera verò*, qui paulò inferiùs *vers. Duo hoc loco*, dicit quoad azima grauem esse prohibitionem, si Paschali tempore cum ipsis comedantur; hoc enim esset communicare in falsis ritibus, quod dicendum est etiam ex paritate rationis de Agno Paschali, quem, & alia vendere Hebræis ad hunc finem, vt ijs vtantur ad iudaicos ritus, esse peccatum mortale docent communiter DD.

Sc-

Secus dicendum, si vendantur tanquam res indifferentes; tunc enim licere docet ex Ledesma Ferrantin. *de scandal. & corrept. fraterna*, *disp.* 1. *quaest.* 61. *num.* 25. quamuis alij id non concedunt, saltem sine veniali, nisi iusta interueniente causa, qualem esse iacturam, quam quis pateretur, si res suas, quas venales habet, nequaquam venderet, asserit Tamburin. *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 1. §. 4. *num.* 33. quam doctrinam extendunt etiam ad vendentes aleas, & taxillos in ludo illicito ab vsuris, esculenta soluturis ieiunium, fucos meretricibus, & his similia, & ad locantes eisdem meretricibus, ac publicis vsurarijs domos. 7

Sed quoad locantes domos prædictis, Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 7. *num.* 20. id, nulla etiam excusante causa, permittit, ea nixus ratione, quòd multùm interest inter locum, & materiam, quæ ministratur in superioribus casibus; hæc enim intrinsecè pertinet ad peccatum, & proximè se habet ad illud, ac proinde maximè ex ea sumitur occasio peccati, ideoque causa excusante opus est, vt, quamuis indifferens ex se sit, licitè ministretur; ille autem se omnino extrinsecè habet, nec ex eo propriè occasionem peccandi sumimus, licèt peccando loco abutamur. 8

Sed hæc doctrina Sanchez intelligenda est cum suis limitationibus. PRIMA est, si meretrix, & vsurarius sint alienigenæ; tunc enim multiplicarentur occasiones peccandi, quod sine causa nullo modo licet. SECVNDA, quando ob circumstantiam loci aliquis peccaturus est, quo sibi non concesso non peccaret. TERTIA, quando in ea domo ratione situs, aut alia ex causa esset specialis aptitudo ad pecca- 9

can-

candum. QVARTA denique, si prauum meretricis domum conducentis exemplum multùm honestis fœminis vicinis noceret. In his enim, & similibus casibus iusta causa requiritur, vt domus licitè locari possit: causam autem iustam censet Sanch. *loc. cit. in fin.* si dicta domus nequeat alijs commodè locari.

10 His prænotatis Respondeo in tribus vltimis casibus conueniunt omnes, esse peccatum mortale, quia sic grauitas materiæ exposcit, salua tamen limitatione in vltimo casu *num.* 2. allata: in quinque primis probabilius est non excedere culpam venialem, secluso scandalo, religionis contemptu, & peruersionis periculo: immo, si adsit iusta causa, nullum erit peccatum, sicuti siquis recreationis gratia, vel ex alio honesto fine, nimirum ad eorum superstitiones irridendas, vel confutandas Synagogas, choreas, nuptias, & alias huiusœmodi solemnitates inuisat, etiam dum superstitiosa ibi celebrantur, vt expresè sentire videtur Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 31. *num.* 18. *in fin.* In alijs verò sex dissentiunt Doctores, putant enim aliqui cum Castrop. *part.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *pun.* 9. *num.* 17. esse peccatum mortale, quia ex parte materiæ res prohibitæ sunt graues.

11 Emmanuel verò Sà *V. Iudæus*, *num.* 1. & Aragon. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. asserunt non esse mortale, nisi ea sit familiaritas, vt suboriatur subuersionis periculum; vel nisi communicatio per illas actiones exhibita fiat ad fauendum falsis ritibus, ea potissimùm ratione, quia præciso hoc periculo, vel est res non magni momenti, qualis censetur ciuilis communicatio in humanis etiam cum excommunicato vitando, vel certè cessante eo periculo, cum cesset finis saltem

præ:

præcipuus prohibitionis, videtur cessare & prohibitio; quorum opinionem dicit probabilem Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 1. de Fide*, §. 10. *V. Iudæi, seu Hebræi*, *num.* 8.

Ego tamen in eorum sententiam sine aliqua limitatione ire non possum; non enim video, quomodo valeant excusari à mortali nutrices lactantes pueros Hebræorum in eorum domibus, aliæque mulieres in familiari seruitute apud ipsos degentes, cum id vix possit succedere absque peruersionis periculo, & sine contemptu Christianæ Religionis; illas enim, quando Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum sumpserunt, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, & alia immunda loca effundere cogunt, & has sibi ignem accendere faciunt in die Sabbati, earumque opera vtuntur in seruitijs vilioribus; vnde se iactant impudenter filios Liberæ, & nos Ancillæ, & Synagogam Ecclesia superiorem. Contra quæ facinora grauiter procedunt Inquisitores, vt bene obseruat Carena *de offic. Inquisit. part. 2. de Iudæis, & alijs Infidelibus, tit.* 14. §. 15. *num.* 34. & §. 16. *num.* 37. ex quibus manifestè delicti grauitas innotescit. 12

Sed quicquid sit de eorum opinione, aliter tamen, saltem quoad forum externum, sentiendum est in nostra Florentina Diœcesi, cum in Synodo Prouinciali Anni 1573. *Rubr.* 8. *de Iudæis, cap.* 2. & in Diœcesana Anni 1619. *tit.* 1. *cap.* 11. *de Hæreticis, & Iudæis*, §. 3. eadem prohibeantur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quæ grauem culpam supponit. 13

Dixi *quoad forum externum*, quia quando in eadem 14

dem materia duæ concurrunt opiniones ambæ probabiles, vna admittens, altera excludens malitiam mortalem, si Episcopus, vel alius Superior adhærendo primæ opinioni prohibeat aliquid, etiam sub pœna excommunicationis, quod facere potest stante probabilitate opinionis; nihilominus, si subditus sequatur aliam opinionem probabilem, quæ mortalem malitiam excludit (qualem tamen non iudico allatam superiùs *n.* 12.) quoad forum internũ, secundũ aliquos non peccabit mortaliter, quia sequitur opinionem probabilem, & consequenter non incurret excommunicationem; ratio autem esse potest, quia Superior sequens contrariam opinionem, & imponens transgressoribus pęnam excommunicationis, eam sententiam non statuit, nec definit vt certam, sed solùm facit probabiliorem, remanente contraria in sua probabilitate, nisi simul, & semel eam (quod facere potest tantùm Summus Pontifex) vt improbabilem damnet: ita in simili docet Dian. *part.* 11. *tr.* 8. *res.* 12. *vers. Non inquam*, & ante ipsum Andreas Mendo in Bulla Cruciat. *disp.* 33. *cap.* 2. *num.* 19. quàm probabiliter alij iudicent: mihi enim eorum doctrina nimis coarctare videtur potestatem Superiorum; qui cum possint obligare non solùm in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ, prohibendo sub graui pęna rem ex suo genere indifferentem, sed ex aliqua circumstantia malam, cur non poterunt eodem modo obligare, prohibendo rem ex genere suo, secundùm opinionem probabilem, mortaliter peccaminosam?

15 Fortasse respondebis, posse in primo casu, non autem in secundo propter disparitatem rationis; res enim

ex

ex suo genere indifferens, sed ex circumstantijs mala, est euidenter talis, cum non adsit opinio probabilis in contrarium, & ideo necessariò obligat in conscientia; sed res secundùm probabilem opinionem mortaliter peccaminosa, non est euidenter talis, stante probabilitate contrariæ opinionis, ideoque opinionem contrariam sequentes obligare non potest. Efficaciam, & robur huius distinctionis alijs examinandum relinquo: mihi enim Opusculi finem præstolanti ocium non est, rem altiori indagine perscrutari.

Denique dubitari potest, an Episcopus, aliusque Superior possit dispensare cum Christianis, præser- 16
tim cum mulieribus, vt Hebræis in eorum domibus seruiant obstetricando, lactando, vel quoduis aliud obsequium impendendo: loquor extra casum necessitatis; nam quòd mulieres Christianæ, vrgente necessitate, possint obstetricis munere fungi, Hebræorumque filios, extra tamen eorum domos lactare, charitas ipsa exposcit, & tendit in Christianæ Religionis commodum; dari enim potest casus, vt infans de vita periclitetur, & Baptismum suscipiat, vt diximus supra *Conclus. 6 num* 4.

Et negatiuè respondendum ex communi DD. sen- 17
tentia, vt notat Cardinal. *in cap. ad hac*, & ibi Abbas *in fine, extra de Iudæis*, Dec. *in cap. Consuluit* 3. *extra, de appellat.* Montan. *de Tutor. & Curator. cap.* 4. *num.* 36. quos refert, & sequitur Sperell. *decis.* 1. *num.* 6. quibus adde Ricciull. *de iure personar. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 18. & Sanch. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 27. docentes non posse Episcopum dispensare, vt nutrix Christiana etiam extra domum à Iudæis retineatur, quorum sententiæ tanquam pro-

babiliori adhæret Carena *de offic. Inquisit. part. 2. de Iudais, & alijs Infidelibus, tit. 14. §. 13. num. 31. & seq.* quamuis alij contrarium dixerint probabiliter ex verbis Textus *in d. cap. ad hac*, vbi habentur ea verba, *in eorumdem domibus*, Cardin. *loc. cit. vers. Oppono*, & Abb. *ibidem num. 2.*

18 Ratio prædictorum esse potest, quia, quòd filij Liberæ filiis non famulentur Ancillæ, ad hoc vt Iudæi tanquam serui à Domino reprobati se saltem per effectum operis recognoscant seruos Christianorum, procedit ex ratione morali respiciente decorem Christianæ Religionis, cui quidem decori derogare nequit Episcopus, qui vtique dispensare non potest contra ius, nisi expressè, vel tacitè permittatur; præsertim quando prohibitio tendit in fauorem Fidei, & dispensatio tenderet in priuatum commodum Infidelium, vt in simili casu fusiùs diximus supra *Conclus. 5. num. 10. in fin.*

19 Concludamus igitur cum Sanchez, & alijs, quos refert *lib. 2. in Decalog. cap. 31. num. 27.* solùm Pontificem posse dispensare, quia ea prohibitio à iure Pontificio descendit, nec alicubi committitur Episcopo dispensatio. At sequendo contrariam opinionem, licèt minus probabilem, non esse prohibitum, filios Hebræorum extra eorum domum lactare, nulla opus erit dispensatione, vt innuit idem Sanchez *loc. cit.*

20 Poterit autem Summus Pontifex dispensare non solùm in his, verùm & in omnibus supradictis, etiam in eo, quòd fidelis matrimonium ineat cum infideli, vt pluribus relatis probat idem Sanchez *lib. 7. de impedim. matrim. disp. 71. num. 10.* & post ipsum

Pont.

Pontius *lib.* 7. *de impediment. cap.* 47. *num.* 3. vbi citat Bellarmin. *lib.* 1. *de matrimon. cap.* 23. *propos.* 4. & obseruat Sanch. *loc cit.* matrimonium huiusmodi fore validum, etiamsi dispensatio fieret sine causa; sed tamen tum ex parte concedentis, tum ex parte contrahentium illicitum.

Et hæc, & omnia alia, quæ censuræ Ecclesiasticæ libenter subjcio, dicta sint satis ad Infidelium conuersionem, ad Catholicæ incrementum fidei, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, cuius misericordiæ non est numerus, cuius bonitatis infinitus est thesaurus, cuius magnitudinis non est

F I N I S.



IN-



# ADDITIONES.

C*Oncl. I. num. 5. in fine*, adde.

Ex his tamen non sequitur, Catechumenum posse baptizare, & Patrini munere fungi; illud enim ei non permittitur, nisi in casu necessitatis, quando baptizandus aliàs moriturus esset sine Baptismo, cum nullus Christianus, ne quidem fœmina, adesset, qui id præstare posset: fœmina enim, quæ formam bene proferre nouit, Catechumeno præferenda est, iuxta ordinem, quem in Baptismo necessitatis seruandum præscribit ex D. Thom. 3. *part. quæst. 67. art. 1. et seqq.* Tamburin. *de Iure Diuino lib. 2. de Baptismo, cap. 2.* § 2. In Patrinum autem nunquam eligendus est Catechumenus: non in Baptismo solemni, quia non baptizatus Patrinus esse non potest, ex cap. *in Baptismate, de consecrat. dist.* 4. Immo neque Hæreticus, quia licèt sit baptizatus, non tamen aptus est ad instruendos alios in fide S. Thom. *in 4. dist. 42. art. 2. quæst.* 3. Filliucc. *tract. 2. num. 160.* Candid. *disquisit. 16. art. 4. dub. 12.* & alii communiter: non in Baptismo priuato, quia tunc Patrinus necessarius non est; nullum enim extat præceptum, vt in tali Baptismo Patrinus adhibeatur; & licèt adhiberi posſit, vt docent Suarez, Sanchez,

&Ro-

& Rodriguez, quos relatos sequitur Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 18. *et part.* 5. *tract.* 3. *resolut.* 7. vbi refert Sanchez, & alios docentes, tunc non contrahi cognationem spiritualem, non tamen Catechumenus, qui à Iure repellitur, vt dictum est.

*Concl.VII. num.* 13. *in fine, adde.* Et quòd Neophytæ maior dos debeatur, innuit Ioseph Altograd. *Controuers. forens. lib.* 2. *controu.* 96. *art.* 10. *num.* 233. quod ante ipsum animaduertit Rot. *part.* 3. *recentior. decis.* 220. *num.* 3. *in fin.* Vbi assignatur ratio, quia licèt conuersi ad fidem sint omni honore digni, iuxta illud Luc. xv. 22. & illis sit, quantùm fieri potest, fauendum; Gloss. additionalis *in cap. eam te, de rescript.* nihilominus Christiani antiqui non ita facilè contrahunt matrimonia cum illis, sicut cum Christianis antiquis; vnde fit, quòd mulier Neophyta indiget maiori dote. Cæsar de Graff. *decis.* 2. *num.* 3. *de sponsalibus.* Ex quibus inferri potest, dotem constituendam puellæ conuersæ ad fidem debere excedere quantitatem legitimæ; nam congruam dotem censeri regulariter vsque ad quantitatem legitimę, pluribus relatis firmat Lęlius Altograd. *consil. lib.* 1. *cons.* 5. *num.* 18.

*Ibidem num.* 15. *vers.* 6. *post verbum*, contracta, *adde*, etiam de ijs, quæ acquisiuit post Baptismum, deductis tamen necessarijs ad victum, iuxta Text. *in l.* 4. *ff. de cession. bonor.* & plenè declarat *gloss. in cap. Odoardus* 3. *extra de solut.* & docet Cyriac. *controuers. forens. controu.* 86. *per tot. par.* 1. quem allegando sequitur Paitell. *expedit. causar. exped.* 66. *in annotat., num.* 42.

*Ibidem num.* 43. *vers.* 6. *post verbum* Salzed. *adde* ad Diaz.

*Con-*

*Concl. IX. num. 22. verf. 3. post verbum* venien. *adde*, & habetur *ex l. 1. & 3. ff. de legit. Tutor.* Redenasc. *conf. 38. num. 7.*

Denique in toto Opusculo nonnulla errata obrepserunt, sed, quia leuiora sunt, Lectoris benignitati, & prudentiæ excusanda, & corrigenda relinquuntur.



INDEX

# INDEX EORVM.

## QVÆ IN XII. CONCLVSIONIBVS CONTINENTVR.

**Numerus Ecclesiasticus Conclusionem, Ordinarius Marginem indicat.**



Z tium,

ctio

Neque

CENSVRA.



CHRISTIANVS.



CITATIO.



CIVIS.



CLAVSVLA.



CLERICVS.



COGNATIO.



COMPETENTES.



CONIVX.



CONSVETVDO.



CONVERSVS.

lue.

Tri-

HÆRETICVS.



HYPOTHECA.



INCESTVS.



INDVLGENTIA.



INFAMIA.



INFANS.



INFIDELIS.



Paren-

MANCIPIVM.



MATER.



MATRIMONIVM.

ME-

OBLA-

POL

est

SVC

LAVS DEO.